Digitized by Google


EUANGELI
EPISTOLÆ
INTROITU

HYMNI ET COLLECTÆ,

ITEM

EVANGELIA, EPI-
STOL[illegible]N[illegible]RO[illegible]

GRADVALI[illegible]T S[illegible]

Q[illegible]iebus[illegible]mici[illegible] [illegible]ſ lorari, [illegible]tiſſimo Miſſæ ſa-
crificio [illegible] Dei legun-
tur & canuntur:

IN VSVM OMNIVM PIETATIS *amantium, præſertim autem Laicorum, qui Latinè ſciunt, quò huiuſmodi Hymnos ſanè dulciſsimos, melliταsq́; Eccleſiæ preces, lectiones & cantiones, & ipſi dum ſacris interſunt, ad manum habere & vota ſua communibus* ECCLESIAE *votis ac precibus coniungere queant, ſedulò collecta.*

QVIBVS ADIECTA ETIAM FORMVLA benè piéque auſpicandi, tranſigendi, finiendique diem certis ijsque Catholicis precatiunculis, omnibus, piè in CHRISTO viuere ſatagentibus maximè ſalutaris.

COLONIAE,
Apud Geruinum Calenium & hæredes Iohannis Quentel, Anno M. D. LXXXV.
Cum priuilegio Imperiali ad decennium.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

32-2-A-33

TYPOGRAPHVS PIO LECTORI S. P.

HABES *hîc, Chriſtiane* Lector, *non abſque multo labore & ſtudio conquiſita, & in hanc formã redacta, quæ tibi non mediocriter poſſint eſſe vſui.* Habes Hymnos & Sequentias, *vt vocant, eccleſiaſticas, mirificè pium animum in* DEI *amorem incitantes:* Habes *preces, quas* Collectas *appellant, quibus nihil fingi poſsit efficacius:* Habes *ſacroſancti Miſſæ ſacrificij officia totius anni, vndè facilè peruidere queas, quàm nihil agatur in Miſſa, quod non ſit è diuinis ferè literis depromptum:* Habes *optimarum precum non contemnendam farraginem, quibus ad omnem vel neceſsitatẽ, vel opportunitatẽ vti queas, non abſque fructu ingenti.* Nec *debes iſthæc aut faſtidire, aut reijcere.* Scis *totiès nos ab ipſo Chriſto admoneri, vt preces* Deo *offeramus:* Oportet, *inquit,* Luc.18. *ſemper orare: cui etiam conuenienter Apoſtolus hortatur, vt ſine intermiſsione oremus.* Et *nè ſimus ad precandum deſides, pollicetur* Dominus *liberaliter ſe daturum quæ petimus.* Petite, *inquit, & accipietis, idq; non vno loco.* Porrò *verò cùm non omnes ea ſint gratia præditi, vt poſsint ſibijpſis precandi formulas effingere, nos hîc præmanſum, quod dici ſolet, cibum affatim offerimus.* Eſt *certè quidem do-*

2.Theſ.5. Matt.7. & 21. Mar.11. Luc.11. Ioan.14. & 16.

lendum, pleroſque Chriſtianos vſqueadeò ſuæ ſalutis incurioſos viuere, vt propemodùm ab omni precandi ſtudio prorsùs abhorrere videantur: quaſi verò neſcij ſint, omnem tum temporariam, tum æternam ſalutem noſtram à præpotentis Dei *benignitate pendere: quem proindè quiſquis precibus crebris & ardentibus compellare non vult, haud obſcurè ſignificat, ſe ſalutem ſuam nullius penſi habere.* Videas *pleroſque ità ſe curis huius vitæ & cumulandis per fas & nefas diuitijs totos immergere: alios ſic fœdis voluptatibus diffluere, vt nec illis vacet, nec iſtis libeat vel parumper in preces incumbere.* Atquì *dum repentino aliquo caſu id genus miſeri opprimuntur, atque ex hac luce ſubtrahuntur, quod non rarò accidere videmus, veniunt modis omnibus imparati ad tribunal æquiſſimi*
Heb.10. *iudicis, in cuius manus incidere horrendum eſt: & tum demùm ſentiunt magno malo ſuo, quàm ſtultè & perniciosè ſibijpſis defuerint, quandò dum licuit, precibus ſibi* Deum *conciliare noluerunt.* Vult Chriſtus *in*
Matth.6. Euangelio, *vt primùm quæramus regnum* Dei *& iuſtitiam eius:* Hoc *eſt, vt ante omnia animæ curam geramus, &* Deo *ac* Domino *noſtro ſobriè, iuſtè, ac piè viuendo placere conemur: ità fore pollicetur, vt quæ vitæ huic degendæ neceſſaria ſunt, ea nobis eius benignitate adijciātur. Iſthuc verò præſtare non poſſumus, niſi diuina gratia adiuti: gratiā autem* Dei *qua tandem alia ratione meliùs, quàm precando, impetrabimus?*

mus? Hinc adeò eſt, quòd ipſa etiam ſancta mater Eccleſia tot modis ad precandū nos inuitat, tam multiuarijs tum quotidianis, tum ſolennium feſtorumq́; dierum peculiaribus orationibus, pſalmodijs, hymnis, canticis, quibus certè poßint etiam ſaxea pectora emolliri ad pietatem. Nec ambigere debemus, quin prapotens Deus non rarò in magnas quaſdam calamitates vel hoc ſolo nomine incidere nos patiatur, vt vel ſic tandem ad orandum excitemur. Clamat Eſaias, immò Spiritusſanctus per Eſaiam: Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt. Eſa.55. *Videmus in Euangelio fatuas virgines cum ingenti ſtudio ad clauſas fores precari ſponſum, ſed fruſtrà, nempe tardè & clauſo iam oſtio.* Matt.25. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, propheta & Apoſtolus clamant: hoc tempus qui negligit, fruſtrà ſurdas Dei aures compellabit.* Eſa.49. 2.Cor.6. *Magna tūc eius erit ſecuritas, vt inquit Auguſtinus, cuius ante iudicium ineffabilis miſericordia prærogata eſt. Hoc quiſquis recta ſecum via reputat, ſeſe maturè colligit, rerum labentium fluxam & ridendam vanitatem perpendit, animo ſeſe transfert ad illa ſemper manſura bona, dat operam, propitium vt poßit habere Deum. Hinc iam perpetua offertur precandi, obſecrādi, ſuſpirandi materia, vt liberetur à vitijs, à quibus ſe ſentit impugnari: ab inſidijs maligni dæmonis, quibus ſe non neſcit perpetim infeſtari: à periculis animæ & corporis,*

poris, quibus ſe nouit expoſitum: vt Dei gratia augea-tur, cuius ſe experitur inopem: vt virtutibus & chariſmatis ſancti ſpiritûs ornetur, quibus ſe luget deſti-tutum, vt poſsit beata apud Deũ immortalitate per-frui, cuius potiundæ cauſa ſe non ignorat à Deo condi-tum. Et, vt paucis multa cõplectar, ex omnibus vn-decunquè occurrentibus, ſemper huic adeſt occaſio mentem per preces ad Deum transferendi. Indè verò quàm ingens animo fructus accreſcat, verbis conſe-qui nemo poſsit. Atque huc ſanè conniti omnes debe-mus. Chriſtiani à Chriſto dicimur: ſit apud illum cor noſtrũ, cuius nomine gloriamur. Sursùm vocatos ani-

Coloſ.3. *mos, peritura non occupent. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, ait Apoſtolus, quæ ſursùm ſunt ſapite, nõ quæ ſuper terrã. Id vt poſsimus, plurimum eò momenti af-ferunt attentæ & crebræ preces, quibus colloquimur cum Deo, & in eius amicitiam & familiaritatem nos magìs magisq; inſinuamus. Interim verò danda opera eſt, vt ad diuinam voluntatem mores vitamq; no-ſtram conformemus: ità enim maiori fidutia & tran-quilliori pectoris ſerenitate poterit mens cum* DEO *ac Domino ſuo familiariter miſcere ſermones, & tum pro ſeipſa, tum pro alijs fidentiùs diuinæ pietatis effuſam benignitatẽ precibus pulſare. Nam, vt rectè ait cæcus ille iam à Chriſto intùs & foris illuminatus,*

Ioan.9. *peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Et alibì ſcri-*

pta

pta diuina eius orationẽ fore dicunt execrabilem, qui Prou. 18.
auertit aurem ſuam nè audiat legem. Odit enim Deus
omnes qui operãtur iniquitatẽ. Itaque pro ſuo quiſque Pſal. 5.
modulo conniti debet, vt cùm accedit ad obſecrãdum
DEVM, *abijciat peccandi voluntatem, atque hacte-*
nùs ſe pijſsimo creatori ac redemptori ſuo ingratum
fuiſſe doleat, ſuam ingratitudinem agnoſcat & accu-
ſet, vitam rectiùs inſtituendi propoſitum aſſumat, &
ità multa cum humilitate & animi ſummiſsiõe, piaq́;
erga immenſam Dei *bonitatem fidutia preces fundat.*
Et *licèt ſubindè relabatur in hæc vel illa peccata, ſem-*
per tamen ad ſe redeat, atque de integro animi bonum
propoſitum inſtauret: tantoq́; fiat ad orandum Deum
feruentior, quanto ſe infirmiorem experitur. Quòd ſi
verò in vitijs & flagitijs vſquè perſeueret, nec vllum
indè emergendi & reſipiſcendi conatũ adhibeat, iam
certè oratio eius fiet in peccatum, & erit apud Deum
execrabilis: Quamobrem Chriſtus Dominus *in prece* Matt 6.
ſua, qua nos vti voluit, inprimìs iubet, vt DEVM
vocemus patrem, quod verè non poſſunt, niſi filij
morigeri. deindè, vt dicamus, Sanctificetur nomen
tuum: quod certè tum demùm fit, cùm lucet lux no- Matt. 5.
ſtra coram hominibus, vt videant bona opera noſtra,
& glorificent patrem noſtrum qui in cælis eſt: tum
verò addamus, Adueniat *regnum tuum: quod fru-*
ſtrà expectant, qui in vitiorum ſordibus perpetim
volutantur: atque porrò ſubiungamus, Fiat *voluntas*

 tua,

tua, ſicut in cælo & in terra. Vbi reuerà neceſſe eſt *aut temerè hæc dici, aut peccandi voluntatem corrigi* Poteſt *autem facilè animaduerti,* Chriſtum Dominum *hac ipſa prece mortales omnes admonere voluiſſe, vt ſi velint aliquid impetrare à* Deo, *deſinant ea facere quibus offenditur* Deus: *hoc eſt, ſint filij boni, digni patrem habere* Deum: *ſic viuant, vt illorum vita cedat in gloriam* Dei, *ſintq́; idonei admitti in regnum* Dei, *ſtudeantq́; eius facere voluntatem.* Sed *nè ſim longior, agè iam amice* Lector, *libellum hunc libens accipe, & operam noſtram, qua certè tibi gratificari volumus, boni conſule, & dum precibus* Deum *compellas, etiam noſtri, quæſo, memor eſſe velis.* Vale.

INDEX

INDEX EORVM QVAE HOC LIBELLO CONTINENTVR.

Libellus hic duas habet partes principales.

PRIMA PARS continet

PRIMO Hymnos Eccleſiaſticos cõmunes per totã ſeptimanam, qui habentur pag. 1. & ſeq. vſq; ad 22.

SECVNDO, Hymnos, Collectas, Euangelia, Epiſtolas, Introitus, Gradualia, Sequentia, Offertoria & Communiones. Quæ Dominicis & Feſtis diebus per totius anni curſum in Eccleſia Dei leguntur & canuntur. Quorum Indicem adijcere neceſſe non eſt, cùm ſecundùm rationem temporũ ordine ſequantur, & ideò per ſe à pio Lectore facilè inueniri queant. Incipiunt autem pagina 22. & terminantur pag. 443.

TERTIO, Pſalmos & cantica aliquot ſacra in horis Canonicis quotidiana, velutì Venite exultemus. Te Deum laudamus, Laudate Dominum de cælis, Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, & Symbolum Athanaſij, Quicunque vult ſaluus eſſe, &c. Quæ habentur 444. vſque ad pag. 453.

SECVNDA PARS huius libelli cõtinet formulam piè auſpicandi, tranſigendi, finiendiq; diem certis ijsq; Catholicis orationibus, cuius ſunt capita ſequentia.

PRAEFATIO continens piam & ſalutarem exhortationem ad orationem vitamq; Chriſtiano homine dignam. 455.
NON tantùm diem feſtum, ſed omnem etiam non feſtum diem, à precibus ante omnem laborem & omne negocium auſpicandum eſſe. 462.
Manè ante lucem ſurgendum. 464.
Hymnus ea de re D. Prudentij verè aureus: Ales diei nuncius, &c. 466.
Orationes matutinæ. 470. & ſeq.
Orationes pro bono fine. 476.
Benedictio ſeu recommendatio ad Deum. 478.
Ad pulſum campanæ matutinum. ibid.
Aliæ orationes perbreues matutinæ. ibid.
Oratio inter veſtiendum. 480.
Inter lauandum manus. ibid.
Orationes dicendæ cùm è cubiculo vel domo quis egreditur. 481.
In omnibus rebus primùm Dei auxilium implorandum, illiq; gratiæ agendæ. ibid.
Ad abſolutum opus. 482.
Si aër minùs gratus aut commodus ſit. ibid.
Si quò eundum, ſi quid faciendum ſit. ibid.
Ingreſſurus & ingreſſus templum, quid orare & attendere debeat. 483.
Horaria commemoratio paſſionis Domini noſtri IESV Chriſti rhythmica, cum ſubiectis prophetijs & pijs

piis precibus. 485.
Alia Dominicæ paſſionis horaria commemoratio, breuior quidem, ſed deuotiſſima. 506.
Obſecrationes, orationes, interpellationes, & gratiarum actiones, dicendæ, dum quis audit ſacrũ, ad ſingulas MISSAE partes diligẽter adaptatæ. 511. & ſeq. vſque ad pag. 535.
Oratio ante Confeſſionem dicenda. 512.
Oratio B. Auguſtini, dum variæ cogitationes animam grauant inter orandum, dicenda. 513.
Orationes deuotiſſimæ dicendæ cùm quis communicare vult corpori & ſanguini Domini. 536. & ſeq. vſque ad 543.
Orationes poſt ſacram Communionem. 543. & ſeq. vſque ad 547.
Pſalmi pœnitentiales, cum Litania Eccleſiæ pro conſequenda remiſſione peccatorũ, pro pace & vnitate Eccleſiæ, &c. 547. & ſeq. vſque ad 561.
Orationes deuotiſſimæ S. Gregorii de paſſione Domini. 561. & 562.
Iubilus ſancti Bernardi. 562. & ſequent. vſque ad pag. 566.
Precationes deuotiſſimæ S Brigidæ de paſſione Domini. 566. & ſeq vſque ad 573.
Inuocatio ſanctæ Trinitatis dum aliquid vis incipere. 573.
Super quolibet bono opere finito. 574.

Pro

Pro peccatis Antiph. Reſponſ. & preces. ibid.
Pro pace Antiphona cum precibus. 575.
Pro cogitatione munda. 576.
Pro locutione accepta. 577.
Pro operatione iuſta. ibid.
Pro charitate. 578.
Pro humilitate. ibid.
Pro caſtitate. 579.
Contra tempeſtates aeris & tonitrua. ibid.
Ad poſtulandam pluuiam. ibid.
Ad poſtulandam ſerenitatem. 580.
Pro iter agentibus. ibid.
Pro redeuntibus de itinere. 581.
Pro nauigantibus. ibid.
Tempore peſtis & famis. 582.
Gratiarum actio pro beneficiys impetratis. 583.
Pro ſummo Pontifice, & cunctis gradibus Eccleſiaſticis. 584.
Pro vnione Eccleſiæ ad Deum patrem. ibid.
Pro Imperatore noſtro. ibid.
Pro Rege vel Principe. 585.
Pro Epiſcopis & Prælatis. ibid.
Pro Eccleſiæ pace & tranquillitate. ibid.
Pro Paſtore noſtro. 586.
Pro parentibus & conſanguineis. ibid.
Pro amicis & familiaribus. ibid.
Pro benefactoribus & malefactoribus. 587.

t proles rectè inſtituantur. ibid.
o prægnante muliere. 588.
t Deus coniugia conſeruet. ibid.
ro amico tribulato. 589.
ro eo qui in hæreſi verſatur. ibid.
De eo, de cuius ſalute dubitatur. ibid.
Pro ſalute propria. ibid.
Pro infirmis. 590.
Pro febricitante. 591.
Pro patientia in morbo vel afflictione. ibid.
In ſumptione antidoti. 592.
In diminutione ſanguinis. ibid.
Pro reddita ſanitate. ibid.
Pro infirmo qui proximus eſt morti. 593.
Sub exitum animæ de corpore. ibid.
Pro commendatione animæ. 595.
Pro viuis & defunctis. ibid.
Pro parentibus noſtris defunctis. 596.
Ad impetrandam ſapientiam & gratiam Spiritus ſancti. ibid.
Pro conſeruatione donorum Dei, D. Auguſtini. 597.
Pro die iudicij. 598.
Pro auditione verbi Dei. ibid.
Contra concupiſcentiam. ibid.
Pro ebrietate vitanda. ibid.
De conſeruanda gratia baptiſmi. 599.
Pro medio obtinendo inter duo mala. ibid.

Oratio pœnitentis, B. Auguſtini. ibid.
Pro peccatrice anima, eiuſdem. 600.
Pro remiſſione peccatorum & petitione lachrymarum, eiuſdem. ibid.
Ad CHRISTVM paſtorem, peccatoris pro ſe ipſo. 603.
Pro intelligentia ſacræ doctrinæ. 605.
Ante ſtudium, profeſſionem vel Concionem, S. Thomæ Aquinatis. ibid.
Ad impetranda opera miſericordiæ. 606.
Pro laudatione & dilectione Dei. ibid.
Pro amore Dei impetrando, B. Auguſtini oratio. ibid.
Pro diuino auxilio. 607.
In quacunque tribulatione. 608.
In anxietate cordis, & animi certo deſiderio. ibid.
Ad pulſum campanæ meridianum. 612.
Alia, quæ ſextis ferijs in Eccleſia canitur. ibid.
Ad horam nonam, quæ nobis eſt tempus medium inter meridiem & veſperam, oratio. 613.
Hora duodecima. ibid.
Ad pulſum campanæ veſpertinum. 613.
In quolibet loco ad pulſum veſpertinum, matutinum & meridianum, in reuerentiam Domini caput aperiendum eſſe. 614.
Preces veſpertinæ, cùm ad quietem ſe homo Chriſtianus compoſiturus eſt. ibid.
In ipſo lecti ingreſſu. 615.

Preces

eces nocturnæ breuiores, quæ antequàm incum-
batur, & cùm noctu expergiſcitur, dici poterunt.
619. & 620.

liæ orationes perbreues, quæ noctu quoq; cùm quis expergiſcitur, vel aliâs quocunque tempore, præſertìm etiam in mortis neceßitate, pro miſericordia diuina, & remißione peccatorum impetranda commodè dici & animo ruminari poſſunt, ex B. Auguſtino. 620. 621. 622. 623.

FINIS INDICIS.

MATT. XXVI.

VIgilate & orate, vt non intretis in tentationem.

MATT. XXI.

QVæcunque petiêritis in oratione credentes, accipietis.

MARC. XIII.

VIgilate ergò: neſcitis enim quandò Dominus veniat: ſerò, an media nocte, an in galli cantu, an manè: nè cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

PHILIP. IIII.

NIhil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

[illegible]



[illegible]

Vigilate ergo: neſcitis enim quando Do-
minus veniat: ſero, an media nocte, an
galli cantu, an mane: ne cum venerit repente,
inveniat vos dormientes. Quod autem vobis
dico, omnibus dico, Vigilate.

Petri 4.

Nihil [illegible]
[illegible]
[illegible]

HYMNI ECCLESIASTICI COMMVNES.

DOMINICIS DIEBVS AD MATVTINVM.

PRIMO *dierum omnium* B.Greg.
Quo mundus extat conditus,
Vel quo reſurgens conditor,
Nos morte victa liberat.
Pulſis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus pium
Sicut Prophetam nouimus,
Noſtras preces vt audiat,
Suamq; dextram porrigat,
Et expiatos ſordibus
Reddat polorum ſedibus,
Vt quique ſacratiſsimo
Huius diei tempore,
Horis quietis pſallimus,
Donis beatis muneret.
Iam nunc paterna claritas,
Te poſtulamus affatim:
Abſit libido ſordidans,

Omniſq; actus noxius.
Nec fœda ſit vel lubrica
Compago noſtri corporis,
Per quam auerni ignibus
Ipſi crememur acriùs.
Ob hoc redemptor quæſumus,
Vt probra noſtra diluas:
Vitæ perennis commoda
Nobis benignè conferas.
Quò carnis actu exules
Effecti ipſi cælibes,
Vt præſtolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.
Deo patri ſit gloria,
Eiuſq; ſoli filio
Cum ſpiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum.

ALIVS.

Eiuſdē. *NOcte ſurgentes vigilemus omnes,*
Semper in Pſalmis meditemur, atque
Niſibus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.
Vt pio regi pariter canentes,
Cum ſuis ſanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, ſimul & beatam
Ducere vitam.
Præſtat hoc nobis deitas beata

Pa-

Patris ac nati, pariterq; ſancti
Spiritûs: cuius reboat per omnem
Gloria mundum. Amen.

IISDEM DIEBVS AD LAVDES.

AEterne rerum conditor,
Noctem diemq; qui regis:
Et temporum das tempora,
Vt alleues faſtidium.
Præco diei iam ſonat,
Noctis profundæ peruigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem ſegregans.
Hoc excitatus Lucifer,
Soluit polum caligine:
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deſerit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontiq; miteſcunt freta:
Hoc, ipſa petra Eccleſiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergò ſtrenuè:
Gallus iacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente ſpes redit,
Aegris ſalus refunditur;

Mucro latronis conditur,
Lapſis fides reuertitur.
IESV, *labentes reſpice,*
Et nos videndo corrige:
Si reſpicis, lapſi ſtabunt,
Fletuq́; culpa ſoluitur.
Tu lux refulge ſenſibus,
Mentiſq́; ſomnum diſcute:
Te noſtra vox primùm ſonet,
Et ora ſoluamus tibi.

ALIVS.

B.Greg. *ECcè iam noctis tenuatur vmbra,*
Lucis aurora rutilans coruſcat:
Niſibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Vt Deus noſter miſeratus, omnem
Pellat angorem, tribuat ſalutem,
Donet & nobis pietate patris
Regna polorum.
Præſtet hoc nobis, vt ſuprà.

HYMNVS AD PRIMAM.

B.Amb. *IAm lucis ortô ſidere,*
Deum precemur ſupplices,
Vt in diurnis actibus
Nos ſeruet à nocentibus.
Linguam refrenans temperet,
Nè litis horror inſonet:

Viſum fouendo contegat,
Nè vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Potûs cibiq́; parcitas.
Vt cùm dies abſceſſerit,
Noctemq́; ſors reduxerit,
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.
Deo patri ſit gloria,
Eiusq́; ſoli filio
Cum ſpiritu paraclito.
Et nunc & in perpetuum.

AD TERTIAM.

NVnc ſancte nobis ſpiritus, Eiuſdē.
Vnum patri cum filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori.
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſionem perſonent:
Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos.
Præſta pater pijſſime,
Patriq́; compar vnice,
Cum ſpiritu paraclito,
Nunc & per omne ſeculum.

AD SEXTAM.

Eiuſdē.

RECtor potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore manè inſtruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium:
Confer ſalutem corporum,
Veramq́; pacem cordium.
Præſta pater &c.

AD NONAM.

Eiuſdē.

REruм Deus tenax vigor.
Immotus in te permanens,
Lucis diurna tempora
Succeßibus determinans:
Largire clarum veſperè,
Quô vita nuſquàm decidat,
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.

DOMINICIS DIEBVS AD VESPERAS.

B.Greg.

LVcis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordijs lucis nouæ
Mundi parans originem.
Qui manè iunctum veſperi,
Diem vocari præcipis:

Te-

Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
Nè mens grauata crimine,
Vitæ ſit exul munere:
Dum nil perenne cogitat,
Seſeq; culpis illigat.
Cælorum pulſet intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peſſimum.

AD COMPLETORIVM.

TE lucis ante terminum,
Rerum creator poſcimus,
Vt ſolita clementia
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procùl recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata:
Hoſtemq; noſtrum comprime,
Nè polluantur corpora.
Præſta pater omnipotens,
Per IESVM *Chriſtum Dominum,*
Qui tecum in perpetuum,
Regnat cum ſancto ſpiritu.

ITEM AD COMPLETORIVM, POTISSIMVM PER QVADRAGESIMAM.

CHriſte qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Luciſq; lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
Nè grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat,
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos, qui te diligunt.
Defenſor noſter adſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
Memento noſtrî Domine
In graui iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine, Amen.

FERIA SECVNDA AD MATVTINVM.

Somno

SOmno refectis artubus,
Spreto cubili ſurgimus:
Nobis pater canentibus
Adeſſe te depoſcimus.
Te lingua primùm concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum ſequentium
Tu ſancte ſis exordium.
Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno ſideri:
Vt culpa, quam nox intulit,
Lucis labaſcat munere.
Precamur ijdem ſupplices,
Noxas vt omnes amputes,
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.

EADEM FERIA AD LAVDES.

SPlendor paternæ gloriæ, B.Amb.
De luce lucem proferens,
Lux lucis & fons luminis,
Dies diem illuminans.
Verusq; ſol illabere,
Micans nitore perpeti,
Iubarq; ſancti ſpiritus
Infunde noſtris ſenſibus.
Votis vocemus te patrem,
Patrem perennis gloriæ;

Patrem potentis gratiæ,
Culpam relégeṭ lubricam.
Confirmet actus ſtrenuos,
Dentem retundat inuidi:
Caſus ſecundet aſperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet, & regat
Caſto fideli corpore:
Fides calore ferueat,
Fraudis venena neſciat.
Chriſtusq́; nobis ſit cibus,
Potusq́; noſter ſit fides:
Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritûs.
Lætus dies hic tranſeat,
Pudor ſit vt diluculum,
Fides velut meridies,
Crepuſculum mens neſciat.
Aurora curſus prouehat,
Aurora totus prodeat,
In patre totus filius,
Et totus in verbo pater.

EADEM FERIA AD VESPERAS.

IMmenſe cæli conditor,
Qui, mixta nè confunderent,

Aquæ fluenta diuidens,
Cælum dediſti limitem.
Firmans locum cæleſtibus,
Simulq; terræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ ſolum nè diſſipent.
Infunde nunc piiſſime
Donum perennis gratiæ,
Fraudis nouæ nè caſibus
Nos error atterat vetus.
Lucem fides inueniat,
Sic luminis iubar ferat,
Hæc vana cuncta terreat,
Hanc falſa nulla comprimant.

FERIA TERTIA AD MATVTINVM.

Conſors paterni luminis,
Lux ipſe lucis & dies,
Noctem canendo rumpimus,
Aſſiſte poſtulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga cateruas dæmonum,
Expelle ſomnolentiam,
Nè pigritantes obruat.
Sic Chriſte nobis omnibus
Indulgeas credentibus,

Vt proſit exorantibus,
Quod præcinentes pſallimus.

AD LAVDES.

Author Pruden.

ALes diei nuncius,
Lucem propinquam præcinit:
Nos excitator mentium
Iam Chriſtus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos
Aegros, ſopore deſides:
Caſtiq́; , recti, ac ſobrij
Vigilate: iam ſum proximus.
IESVM *ciamus vocibus*
Flentes, precantes, ſobrij:
Intenta ſupplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Tu Chriſte ſomnum diſcute,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu ſolue peccatum vetus,
Nouumq́; lumen ingere.

AD VESPERAS.

TEllurìs ingens conditor,
Mundi ſolum qui eruens,
Pulſis aquæ moleſtijs,
Terram dediſti immobilem:
Vt germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,

Pa-

Paſtumq́; gratum redderet.
Mentis peruſtæ vulnera
Munda virore gratiæ,
Vt facta fletu diluat,
Motusq́; prauos atterat:
Iuſſis tuis obtemperet,
Nullis malis approximet,
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis actum neſciat.

FERIA QVARTA AD MATVTINVM.

Rerum creator optime,
Rectorq́; noſter adſpice,
Nos à quiete noxia,
Merſos ſopore, libera.
Te ſancte Chriſte poſcimus,
Ignoſce tu criminibus:
Ad confitendum ſurgimus,
Morasq́; noctis rumpimus.
Mentes manusq́; tollimus,
Propheta, ſicut nouimus, Pſal.118.
Nobis gerendum præcipit,
Paulusq́; geſtis cenſuit. 1.Tim.2.
Vides malum quod geſſimus,
Occulta noſtra pandimus:
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccauimus.

AD

AD LAVDES.

Pruden.

NOx & tenebræ, & nubila,
Confuſa mundi & turbida,
(Lux intrat, albeſcit polus,
Chriſtus venit) diſcedite.
Caligo terræ ſcinditur,
Percuſſa ſolis ſpiculo,
Rebusq́; iam color redit,
Vultu nitentis ſideris.
Te Chriſte ſolum nouimus,
Te mente pura & ſimplici,
Flendo, & canendo quæſumus,
Intende noſtris ſenſibus.
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua:
Tu lux Eôi ſideris,
Vultu ſereno illumina.

AD VESPERAS.

CAeli Deus ſanctiſſime.
Qui lucidum centrum poli,
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Solis notam conſtituens,
Lunæ miniſtras ordini
Vagos recurſus ſiderum.
Vt noctibus vel lumini

Direptionis terminum,
Primordijs & menſium
Signum daret notiſſimum.
Illumina cor hominum,
Abſterge ſordes mentium,
Reſolue culpæ vinculum,
Euerte moles criminum.

FERIA QVINTA AD MATVTINVM.

NOx atra rerum contegit
Terræ colores omnium,
Nos confitentes poſcimus.
Te iuſte iudex cordium:
Vt auferas piacula,
Sordesq́; mentis abluas,
Donesq́; Chriſte gratiam,
Vt arceantur crimina.
Mens eccè torpet impia,
Quam culpa mordet noxia,
Obſcura geſtit tollere,
Et te redemptor quærere.
Repelle tu caliginem
Intrinſecùs quàm maximè,
Vt in beato gaudeat
Se collocari lumine.

AD LAVDES.

Ex Prudent.

LVx eccè ſurgit aurea,
Pallens faceſſat cæcitas,
Quæ noſmet in præceps diù
Errore traxit deuio.
Hæc lux ſerenum conferat,
Puroſq; nos præſtet ſibi,
Nihil loquamur ſubdolum,
Voluamus obſcurum nihil.
Sic tota decurrat dies,
Nè lingua mendax, nè manus
Oculíve peccent lubrici,
Nè noxa corpus inquinet.
Speculator adſtat deſupèr,
Qui nos diebus omnibus
Actuſq; noſtros proſpicit,
A luce prima in veſperum.

AD VESPERAS.

MAgnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partìm remittis gurgiti,
Partìm leuas in aëra.
Demerſa lymphis imprimens,
Subuecta cælis irrigans,
Vt ſtirpe vna prodita,
Diuerſa rapiant loca.
Largire cunctis ſeruulis,
Quos mundat vnda ſanguinis,

Neſci-

Neſcire lapſus criminum,
Nec ferre mortis tædium.
Vt culpa nullum deprimat,
Nullum leuet iactantia,
Eliſa mens nè concidat,
Elata mens nè corruat.

FERIA SEXTA AD MATVTIN.

TV Trinitatis vnitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ concinentes pſallimus.
Iam lectulo conſurgimus,
Noctis quieto tempore,
Vt flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.
Quo fraude quicquid dæmonum
In noctibus delinquimus,
Abſtergat illud cælitùs
Tuæ poteſtas gloriæ.
Nè corpus adſit ſordidum,
Nec torpor inſtet cordium,
Nec criminis contagio
Tepeſcat ardor ſpiritûs.
Ob hoc redemptor quæſumus,
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis,
Nullis ruamus actibus.

AD LAVDES.

AEterna cæli gloria,
Beata ſpes mortalium,
Celſi tonantis vnice,
Caſtæq; proles virginis:
Da dexteram ſurgentibus,
Exurgat & mens ſobria,
Flagransq; in laudem DEI,
Grates rependat debitas.
Ortus refulget Lucifer,
Sparſamq; lucem nunciat,
Cadit caligo noctium,
Lux ſancta nos illuminet.
Manensq; noſtris ſenſibus
Noctem repellat ſeculi,
Omniq; fine diei
Purgata ſeruet pectora.
Quæſita iam primùm fides,
Radicet altis ſenſibus,
Secunda ſpes congaudeat,
Quò maior extat charitas.

AD VESPERAS.

PLaſmator hominis Deus,
Qui cuncta ſolus ordinans,
Humum iubes producere
Reptantis & feræ genus.
Qui magna rerum corpora,

Dictu iubentis viuida,
Vt ſeruiant per ordinem,
Subdens dediſti homini.
Repelle à ſeruis tuis,
Quicquid per immunditiam
Aut moribus ſe ſuggerit,
Aut actibus ſe interſerit.
Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Diſſolue litis vincula,
Adſtringe pacis fœdera.

SABBATO AD MATVTINVM.

SVmmæ Deus clementiæ,
Mundiq́; factor machinæ,
Vnus potentialiter,
Trinusq́; perſonaliter.
Noſtros pius cum canticis
Fletus benignus ſuſcipe,
Quò corde puro ſordibus,
Te perfruamur largiùs.
Lumbos iecurq́; morbidum
Adure igne congruo,
Accincti vt ſint perpetìm,
Luxu remoto peſſimo.
Vt quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Donis beatæ patriæ

Ditemur omnes affatìm.

AD LAVDES.

AVrora iam ſpargit polum,
Terris dies illabitur,
Lucis reſultat ſpiculum,
Diſcedat omne lubricum.
Phantaſma noctis decidat,
Mentis reatus ſubruat:
Quicquid tenebris horridum
Nox attulit culpæ, cadat.
Vt manè illud vltimum,
Quod præſtolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canore concrepat.

SABBATO AD VESPERAS.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis vnitas,
Iam ſol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te manè laudum carmine,
Te deprecemur veſperì,
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſecula.

ALIVS.

DEus creator omnium,
Poliq; rector, veſtiens
Diem decoro lumine,

Noctem ſoporis gratia.
Artus ſolutos vt quies
Reddat laboris vſui,
Menteſq; feſſas alleuet,
Luctuſq; ſoluat anxios.
Grates peracto iam die,
Et noctis exortu preces,
Votis (reos vt adiuues)
Hymnum cauentes ſoluimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat caſtus amor,
Te mens adoret ſobria.
Vt cùm profunda clauſerit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras neſciat,
Et fidei nox luceat.
Dormire mentem nè ſinas,
Dormire culpa nouerit:
Caſtos fides refrigerans,
Somni vaporem temperet.
Exuta ſenſu lubrico,
Te cordis alta ſomnient,
Nè hoſtis inuidi dolo
Pauor quietos ſuſcitet.
Chriſtum rogemus & patrem
Chriſti, patriſq; Spiritum,

[library stamp]

Te deprecamur hagie,
Venture iudex ſeculi,
Conſerua nos in tempore,
Hoſtis à telo perfidi.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo patri cum filio,
Sancto ſimul paraclito,
In ſempiterna ſecula, Amen.

COLLECTA.

EXcita, quæſumus, Dñe tuorũ fidelium voluntates, vt diuini operis fructũ propẽſiùs exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiãt, per Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuũ, qui tecũ viuit & regnat in vnitate ſpiritusſancti Deus, ꝑ oĩa ſecula ſeculorũ, Amẽ.

AD MATVTINVM.

VErbum ſupernum prodiens,
A patre olìm exiens,
Qui natus orbi ſubuenis
Curſu decliui temporis:
Illumina nunc pectora,
Tuoq; amore concrema,
Audito vt præconio,
Sint pulſa tandèm lubrica.
Iudexq; cùm pòſt aderis,
Rimari facta pectoris,
Reddes vicem pro abditis,

Iuſtiſq; regnum pro bonis.
Non demùm arctemur malis,
Pro qualitate criminis,
Sed cum beatis compotes,
Simus perennes cælibes.
Laus, honor, virtus, gloria &c.

AD LAVDES.

VOx, clara eccè intonat,
Obſcura quæque increpat:
Pellantur eminùs ſomnia,
Ab æthere Chriſtus promicat.
Mens iam reſurgat torpida,
Quæ ſorde extat ſaucia:
Sidus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.
E ſursùm agnus mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lachrymis.
Vt cùm ſecundò fulſerit,
Mundumq; horror cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

AD COMPLETORIVM.

VEni redemptor gentium,
Oſtende partum virginis:
Miretur omne ſeculum,

Talis

Talis decet partus Deum.
Non ex virili ſemine,
Sed *myſtico ſpiramine*
Verbum Dei *factum eſt caro,*
Fructuſq; ventris floruit.
Aluus tumeſcit virginis,
Clauſtra pudoris permanent,
Vexilla virtutum micant,
Verſatur in templo Deus.
Procedens de thalamo ſuo
Pudoris aula regia,
Geminæ Gigas ſubſtantiæ Pſal. 18.
Alacris vt currat viam.
Egreſſus eius à patre,
Regreſſus eius ad patrem,
Excurſus vſque ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.
Aequalis æterno patri,
Carnis trophæo accingere,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præſepe iam fulget tuum:
Lumenq; nox ſpirat nouum,
Quod nulla nox interpolet,
Fideq; iugi luceat.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,

Cum patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula, Amen.

COLLECTA.

CONſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica, vt veniens Ieſus Chriſtus Dominus noſter cum omnibus ſanctis ſuis, paratam ſibi in nobis inueniat manſionem, Qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorū, Amen.

Luc.1. ECcè virgo concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM: hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.

COLLECTA.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero, verbum tuum Angelo annunciante, carnē ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui eam verè Dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

DOMINICA I. ADVENTVS.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.24. AD te leuaui animam meam Deus meus, in te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei. Etenim vniuerſi qui te expectant, non confundentur. Pſal.

Ibid. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Gloria patri &c.

COL-

COLLECTA.

EXcita, quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni, vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari, Qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorũ, Amẽ. Pſal.79.

EPISTOLA AD ROMAN. XIII.

FRatres: Scientes, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autẽ appropinquauit. Abijciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſic, vt in die, honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, nõ in contentione & æmulatione: Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.

GRADVALE.

VNiuerſi qui te expectant, non confundentur. Verſ. Vias tuas Domine notas fac mihi, & ſemitas tuas edoce me. Alleluia. Pſal.24.

Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Pſal.84.

EVANGELIVM MATTH. XXI.

IN illo tempore, Cùm appropinquâſſet IESVS *Hieroſolymis, & veniſſet* Béthphage *ad montem Oliueti: tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis:* Ite *in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatìm inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite:*

quia



quia Dominus *his opùs habet, & confeſtim dimittet eos.* Hoc *autẽ totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per* Prophetam, *dicentem :* Dicite *filiæ* Sion, Eccè Rex *tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum, filium ſubiugalis.* Euntes *autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis* Ieſus. Et *adduxerũt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſupèr ſedere fecerunt.* Plurima *autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via : alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.* Turbæ *autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes :* O*ſanna filio* Dauid: Benedictus *qui venit in nomine* Domini, O*ſanna in excelſis.*

OFFERTORIVM.

Ad

AD te Domine leuaui animam meam, vt ſuprà in Introitu. Pſal.24.

COMMVNIO.

DOminus dabit benignitatem, terra dabit fructum ſuum. Pſal.84.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Hymni & Collectæ ſub horis Canonicis, vt ſuprà: quod & per totum Aduentum obſeruandum.

AD MISSAM INTROITVS.

POpulus Sion, eccè Dominus veniet ad ſaluandas gentes, & auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuę in lætitia cordis ſui. Pſalm. Esa.35. Pſal.65.
Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph. Pſal. 79.

COLLECTA.

EXcita Domine corda noſtra ad præparandas vnigeniti tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus ſeruire mereamur. Qui tecum.

EPISTOLA AD ROM. XV.

FRatres: Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum: vt vnanimes,

vno

vno ore honorificetis Deum *& patrem* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti.* Propter *quod ſuſcipite inuicèm, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem* Dei. *Dico enim Chriſtum* Ieſum *miniſtrum fuiſſe circunciſionis, propter veritatem* Dei, *ad confirmandas promiſſiones patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare*
Pſal.17. *Deum, ſicut ſcriptum eſt:* Propterea *confitebor tibi*
2.Re. 22. *in gentibus* Domine, *& nomini tuo cantabo.* Et *iterùm dicit:* L*ætamini gentes cum plebe eius.* Et *iterùm:*
Pſal.116. L*audate omnes gentes Dominum, & magnificate*
Eſa.11. *eum omnes populi.* Et *rurſus* E*ſaias ait:* Erit *radix* Ieſſe, *& qui exurget regere gentes, in eo gentes ſperabunt.* Deus *autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute* Spi*ritusſancti.*

GRADVALE.

Pſal.49. EX Sion ſpecies decoris eius, Deus noſter manifeſtè veniet. Verſ. Congregate illi ſanctos eius, qui ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Alleluia. Verſ. Lætatus
Pſal.121. ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

EVANGELIVM LVC. XXI.

IN *illo tempore, dixit* Ieſus *diſcipulis ſuis:* Erunt *ſigna in ſole, & luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitûs maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ*



ne, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam *virtutes cælorum mouebuntur.* Et *tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & maieſtate.* His *autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Et *dixit illis ſimilitudinem:* Videte *ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas.* Ità *& vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum* Dei. Amen *dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donèc omnia fiant.* Cælum *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

OFFERTOR.

DEVS, tu conuertens viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te: Oſtende nobis Psal. 84.

Domi-

Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

COMMVNIO.

Iſa.60. iuxta LXX. HIeruſalem, ſurge & ſta in excelſo, & vide iocunditatem quæ veniet tibi à Deo tuo.

DOMINICA III. ADVENTVS.

AD MISSAM INTROITVS.

Phil.4. GAudete in Domino ſemper. iterùm dico, gaudete. modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt. nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Pſalm. Benedi-
Pſal.84. xiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.

COLLECTA.

AVrem tuam, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda, & mentis noſtræ tenebras gratia tuæ viſitationis illuſtra. Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA I. CORINTH. IIII.

FRatres: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.

ſum. Qui autē iudicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſquè veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.

GRADVALE.

QVi ſedes Domine ſuper Cherubin, excita potentiam tuam, & veni. Verſ. Qui regis Iſrael, intēde, qui deducis velut ouem Ioſeph. Alleluia. Verſ. Excita Domine potentiam tuam, & veni, & saluos facias nos. Pſal. 79. Pſal. 79.

EVANGELIVM MATTH. XI.



IN *illo tempore: Cùm audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens*

ſpondens Ieſus, ait illis: Euntes, renunciate Iohãni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Iohanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt:
Malac.3. *Eccè ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

OFFERTORIVM.

Pſal.84. BEnedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ.

COMMVNIO.

Iſa.35. DIcite: puſillanimes, confortamini & nolite timere, eccè DEVS noſter veniet, & ſaluabit nos.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.105. MEmento Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo, ad videndũ in

in bonitate electorũ tuorum, in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua. Pſal Peccauimus Domine cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus,

COLLECTA.

EXcita, quæſumus, Domine potentiã tuam, & veni, & magna virtute ſuccurre, vt per auxiliũ gratiæ tuæ, quod peccata noſtra præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui tecum. Pſal. 79.

EPISTOLA AD PHILIP. IIII.

FRatres: Gaudete in Domino ſemper: iterùm dico, gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim propè eſt. Nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarũ actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum: & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.

GRADVALE.

PRopè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in veritate. Verſ. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius. Alleluia. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ. Pſal. 144.

EVANGELIVM IOHAN. I.

IN illo tempore: Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Iohannem, vt interroga-



rent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum: Quid ergò? Helias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Dixerũt ergò ei: Quis es? vt reſponſum demus ijs, qui miſerunt nos. Quid dicis de teipſo? Ait, Ego vox clamantis in

Eſa. 40. *deſerto, dirigite viam Domini: ſicut dixit Eſaias propheta. Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergò baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque Propheta? Reſpondit eis Iohannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta ſunt*

tráns

trans Iordanem, vbì erat Iohannes baptizans.

OFFERTOR.

AVe Maria gratia plena, Dominus tecum, Luc.1.
benedicta tu in mulieribus, & benedictus
fructus ventris tui.

COMMVNIO.

ECcè virgo concipiet & pariet filium, & vo- Iſa.7.
cabitur nomen eius Emanuel.

DE NATIVITATE DOMINI.

HYMNVS.

A Solis ortûs cardine Sedulij.
Ad vſque terræ limitem,
Chriſtum canamus principem
Natum Maria virgine.
Beatus author ſeculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans,
Nè perderet quos condidit.
Caſtæ parentis viſcera
Cæleſtis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat
Secreta, quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei:

Intacta neſciens virum,
Verbo concepit filium.
Enixa eſt puerpera,
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris aluo geſtiens
Clauſus Iohannes ſenſerat.
Fœno iacere pertulit,
Præſepe non abhorruit,
Paruoq; lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.
Gaudet chorus cæleſtium,
Et Angeli canunt Deo,
Palamq; fit paſtoribus,
Paſtor, creator omnium.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre & ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula.

ALIVS.

CHriſte redemptor omnium,
Ex Patre Patris vnice,
Solus ante principium
Natus ineffabiliter.
Tu lumen, tu ſplendor patris,
Tu ſpes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.

Memento ſalutis author,
Quòd noſtri quondàm corporis
Ex illibata virgine
Naſcendo formam ſumpſeris.
Hic præſens teſtatur dies,
Currens per anni circulum,
Quòd ſolus à ſede patris,
Mundi ſalus adueneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis eſt,
Authorem aduentûs tui
Laudans, exultat cantico.
Nos quoquè, qui ſancto tuo
Redempti ſumus ſanguine,
Ob diem natalis tui
Hymnum nouum concinimus.

ALIVS.

AGnoſcat omne ſeculum, Fortunati Epiſcopi.
Veniſſe vitæ præmium,
Poſt hoſtis aſperi iugum
Apparuit redemptio.
Eſaias quæ cecinit,
Completa ſunt in virgine,
Annunciauit Angelus,
Sanctus repleuit Spiritus,
Maria ventre concipit
Verbi fidelis ſemine:

Quem totus orbis non capit,
Portant puellæ viſcera.
Radix Ieſſe iam floruit,
Et virgo fructum édidit,
Fœcunda partum protulit,
Et virgo mater permanet.
Præſepe poni pertulit,
Qui lucis author extitit:
Cum patre cælos condidit,
Sub matre pannos induit.
Legem dedit qui ſeculo,
Cuius decem præcepta,
Dignando factus eſt homo
Sub legis eſſe vinculo.
Adam vetus quod polluit,
Adam nouus hoc abluit:
Tumens quod ille deijcit,
Humilimus hic erigit.
Iam nata lux eſt, & ſalus,
Fugata nox, & victa mors:
Venite Gentes, credite,
Deum Maria protulit.

COLLECTA.

DEus qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta vt vnigenitum tuum, quem redemptorem lætè ſuſcipimus, venientem quoquè iudicem ſecuri videa-

deamus, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

AD COMPLETORIVM.

De hymno præcedente D. Sedulij, Enixa eſt puerpera, &c. Gloria tibi Domine &c. Deinde, Ecce virgo concipies &c. cum Collecta, Eſa. 7. vt in Veſperis Dominicæ 1. Aduentûs,

NOCTE IN GALLI CANTV.

INTROITVS MISSAE.

DOminus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te. Pſal. Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Pſal. 2. Gloria &c.

COLLECTA.

DEus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere, Da quæſumus, vt cuius lucis myſteria in terra cognouimus, eius quoquè gaudijs in cælo perfruamur: Per eundem.

LECTIO ESAIAE PROPHETAE.

HAec dicit Dominus: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius im- Eſa. 9.

perium, & pacis eius non erit finis: Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum.

EPIST. AD TITVM CAP. II.

CHariſſime, Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare in Chriſto Ieſu Domino noſtro,

GRADVALE.

Pſal.109 TEcum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante
Ibid. Luciferum genui te. Ver. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, Donèc ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Al-
Pſal. 2. leluia. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te.

SEQVENTIA.

GRates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui ſua natiuitate nos liberauit de diabolica poteſtate:

Huic oportet vt canamus cũ Angelis, ſemper gloria in Excelſis.

EVAN.

EVANGELIVM LVC. II.



IN illo tempore: Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio primò facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Et ibant oẽs, vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatẽ. Aſcendit autẽ & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæã, ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cũ Maria deſponſata ſibi vxore, prægnante. Factũ eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filiũ ſuũ primogenitũ, & pãnis cum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia nõ erat ei locus in diuerſorio. Et paſtores erãt in regione eadẽ, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et eccè Angelus

Domi-

Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere. Eccè enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodiè Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

OFFERTOR.

Pſal.95. iuxta Lxx. LAetētur cæli & exultet terra ante faciem Domini, quia venit: Cantate Domino, benedicite nomen eius, benè nunciate de die in diem ſalutare eius.

COMMV.

Pſal.109. In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.

IN AVRORA DIEI.

INTROITVS SECVNDAE MISSAE.

Luc.2. Eſa.9. LVx fulgebit hodiè ſuper nos, quia natus eſt nobis Dominus, & vocabitur admirabilis Deus, princeps pacis, pater futuri ſeculi, cuius
Pſal.92. regni non erit finis. Pſalm. Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.

COLLECTA.

Da

DA quæſumus omnipotens Deus, vt qui noua incarnati verbi tui luce perfundimur, hoc in noſtro reſplendeat opere, quod per fidem fulget in mente: per Dominum noſtrum, &c.

LECTIO ESAIAE PROPHETAE.

HAec dicit Dominus: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me,* Ad *annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem* Domino, *& diem vltionis* Deo *noſtro, vt conſolarer omnes lugentes Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Et *vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio* Domini *ad glorificandum.* Ecce *Dominus auditum fecit in extremis terræ. Dicite filiæ Sion,* Ecce *Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo :* Et *vocabunt eos, populus ſanctus, redempti à* Domino Deo *noſtro.*

Eſa. 61. & 62.

Eſa. 26. Zach. 9.

GRADVALE.

BEnedictus qui venit in nomine Domini, Dominus Deus, & illuxit nobis. Verſ. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Alleluia. Verſ. Dominus regnauit, decorem induit: Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.

Pſal. 117. Matt. 21. Pſal. 92.

EPIST. AD TIT. CAP. III.

CHariſsime: Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritusſancti. Quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

SEQVENTIA.

NAtus ante ſecula Dei filius, inuiſibilis, interminus:

Per quem fit machina cæli & terræ, maris, & in his degentium:

Per quem dies & horæ labant, & ſe iterùm reciprocant:

Quem Angeli in arce poli voce conſona ſemper canunt:

Hic corpus aſſumpſerat fragile, ſine labe originalis criminis, de carne Mariæ virginis: quò primæ parentis culpam, Euæque laſciuiam frangeret.

Hæc præſens diecula loquitur prælucida, adaucta longitudine: quòd ſol verus radio ſui luminis, vetuſtas mundi depulerit genitus tenebras.

Nec nox vacat noui ſideris luce, quod Magorum oculos terruit ſcios.

Nec gregum magiſtris defuit lumen, quos perſtrinxit claritas militum Dei.

Gaude

Gaude Dei genitrix, quam circunſtant obſtetricum vice, concinẽtes Angeli gloriã Deo.

Chriſte patris vnice, qui humanam hominum cauſa formam aſſumpſiſti, refoue ſupplices tuos.

Et quorum participem te fore dignatus es Ieſu, dignanter eorum ſuſcipe preces.

Vt ipſos diuinitatis tuæ participes Deus facere digneris vnice Dei.

EVANGELIVM LVC. II.

IN illo tempore: *Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque* Bethleem, *& videamus hoc verbum, quod factũ eſt, quod fecit* Dominus *& oſtendit nobis.* Et *venerũt feſtinantes, & inuenerunt* Mariam *&* Ioſeph, *&* Infantem *poſitum in præſepio: videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc* Et *omnes qui audierunt, mirati ſunt, & de ijs quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.* Maria *autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Et *reuerſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes* Deum *in omnibus, quæ audierant & viderãt, ſicut dictum eſt ad illos.*

OFFERTORIVM.

DEus enim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata ſedes tua ex tunc, à ſeculo tu es. Pſal. 92.

COMMVNIO.

Exulta filia Sion, lauda filia Hieruſalem: Zach. 9.

Eccè

Ecce rex tuus venit ſanctus & ſaluator mundi.

Antiph. de B. Maria virgine.

Luc. 2. COmpleti ſunt dies Mariæ, vt pareret filium ſuum primogenitum. Verſ. Poſt partum virgo inuiolata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis,

COLLECTA.

DEus, qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus authorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

AD SVMMAM MISSAM.

INTROITVS.

Eſa. 9. iuxta Lxx. PVer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humeros eius, & vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus.
Pſal. 97. Pſal. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.

COLLECTA.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet: Per eundem Ieſum &c.

LECTIO ESAIAE PROPHETAE.

Eſa. 52. *HAec dicit Dominus: Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe,*

qui

qui loquebar, eccè adſum. Quàm pulchri ſuper montes pedes annũciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis: Sion, regnabit Deus *tuus. Vox ſpeculatorum tuorũm, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit* Domnus *Sion. Gaudete & laudate ſimul deſerta* Hieruſalem, *quia conſolatus eſt* Dominus *populum ſuum, redemit* Hieruſalem. *Parauit* Dominus *brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium. Et videbunt omnes fines terræ ſalutare* Dei *noſtri.*

EPISTOLA AD HEBR. I.

FRatres: *multifariè multisq́; modis olim* Deus *loquens patribus in* Prophetis, *nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio: quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq́; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens; ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquandò* Angelorum: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursũm: Ego* Pſal.2.
ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? Et cùm 2.Reg.7.
iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Et ad Ange-* Pſal.96.
los quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & Pſal.103.
miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem: Thro-

Pſal.44. *nus tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, vir-*
ga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem:
propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis
Pſal.101. *præ participibus tuis. Et, Tu in principio Domine ter-*
ram fundaſti, & opera manuũ tuarum ſunt cæli: Ipſi
peribũt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimen-
tum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, &
mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non
deficient.

GRADVALE.

Pſal.97. VIderunt omnes fines terræ ſalutare DEI
noſtri, Iubilate Deo omnis terra. Verſ.
Ibid. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: ante
conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſu-
7.Eſd.8. am. Alleluia. Verſ. Dies ſanctificatus illu-
Pſal 85. xit nobis, venite gentes & adorate Dominum,
Pſal.95. quia hodiè deſcedit lux magna ſuper terram.
Eſa.9.

SEQVENTIA PER OCTAVAM.

LAetabundus exultet fidelis chorus, alle-
luia.

Regem regum intactæ profudit torus, res miranda.

Angelus conſilij natus eſt de virgine, ſol de ſtella.

Sol occaſum neſciens, ſtella ſemper rutilans, ſemper clara.

Sicut ſidus radiũ, profert virgo filium pari forma.

Neque ſidus radio, neque mater filio fit corrupta.

Ce-

Cedrus alta Libani, conformatur hyſopo valle noſtra.

Verbum ens altiſſimi, corporari paſſum eſt, carne ſumpta.

Eſaias cecinit, Synagoga meminit, nunquàm tamen deſinit eſſe cæca. Eſa. 9.

Si non ſuis vatibus, credat vel gentilibus, Sybillinis verſibus hæc prdicta.

Infelix propera, crede vel vetera: cur damnaberis gens miſera?

Natum cōſidera, quem docet litera, ipſum genuit puerpera.

ALIA SEQVENTIA.

EIà recolamus laudibus pijs digna.

Huius diei carmina, in qua lux oritur gratiſſima.

Noctis interit nebula, pereunt noſtri criminis vmbracula.

Hodiè ſeculo maris ſtella eſt enixa nouæ ſalutis gaudia.

Quem tremunt barathra, mors cruenta pauet, ipſa à quo peribit mortua.

Gemit capta peſtis antiqua, coluber liuidus perdit ſpolia.

Homo lapſus, ouis abducta, reuocatur ad æterna gaudia.

Gaudent in hac die agmina Angelorum cæleſtia.

Quia erat drachma decima perdita, & eſt inuenta.

O proles nimiùm beata, qua redempta eſt natura.

Deus qui creauit omnia, naſcitur ex fœmina.

Mirabilis natura, mirificè induta, aſſumẽs quod non erat, manens quod erat.

Induitur natura Diuinitas humàna: quis audiuit talia, dic, rogo, facta?

Quærere venit paſtor pius quod perierat: induit galeam, certat vt miles armatura.

Proſtratus, in ſua ꝓpria ruit hôſtis ſpicula:

Auferuntur tela, in quibus fidebat: Diuiſa ſunt illius ſpolia, capta præda ſua.

Chriſti pugna fortiſſima, ſalus noſtra eſt vera.

Qui nos ſuam ad patriam duxit poſt victoriam, in qua ſibi laus eſt æterna.

EVANGELIVM IOHAN. I.

IN *principio erat verbum, & verbum erat apud* Deum, *& Deus erat verbum.* Hoc *erat in principio apud* Deum. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprahenderunt. Fuit homo miſſus à* Deo, *cui nomen erat* Iohannes. Hic *venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum. In mundo erat, & mũdus per ipſum factus eſt:*

eſt: & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre) plenum gratiæ & veritatis.

OFFERTORIVM.

TVi ſunt cæli, & tua eſt terra: orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundâſti: Pſal. 88. iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.

COMMVNIO.

Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei Pſal. 97. noſtri.

SVFFRAGIVM DE BEATA MARIA VIRGINE.

VErbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre. Verſ. Speciosus forma &c. Iohan. 1. Pſal. 44.

ORATIO.

DEus, qui per beatæ Mariȩ virginis partum ſine humana concupiſcentia, in filij tui membra venientes, paternis feciſti præiudicijs non teneri, præſta quæſumus, vt huius creaturæ nouitate ſuſcepta, vetuſtatis antiquæ contagijs exuamur. Per eundem, &c.

DE S. STEPHANO PROTOMART.

HYMNVS.

STephano primo martyri
Cantemus canticum nouum,
Quàm dulcis eſt pſallentibus,
Opem ferat credentibus.
Hic primus almo ſanguine
Chriſti ſecutus gloriam,
Viam ſalutis cæteris
Amore mortis præbuit.
Hic enim per Apóſtolos
Probatus in laude Dei,
Vexilla mortis rapuit,
Vt præferretur omnibus.
O præferenda gloria,
O beata victoria,
Hoc meruiſſe Stephanum,
Vt ſequeretur Dominum.
Ille leuatis oculis
Vidit Patrem cum filio,
Monſtrans in cælis viuere,
Quem plebs gaudebat perdere.
Iudæi magis ſæuiunt,
Saxaq́; prenſant manibus,
Coniurant vt occiderent,
Verendum Chriſti militem.
At ille cælum intuens,
Tradit beatum ſpiritum,
Pro perſequentium crimine

Precem

Precem ſecundam dirigit.
Deus creator omnium,
Dimitte cæcis hoc malum,
Et hoc nefas quod adſpicis,
Indulge meis precibus.
Præſta pater per filium,
Præſta per almum ſpiritum,
Cum his per æuum triplici
Vnus Deus cognomine.

ALIVS QVI COMMVNIS EST. DE MARTYRIBVS.

DEus tuorum militum,
Sors & corona & præmium,
Laudes canentes martyris,
Abſolue nexu criminis,
Hic nempe mundi gaudia,
Et blandimenta noxia,
Caduca ritè deputans,
Peruenit ad cæleſtia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter,
Pro te effundens ſanguinem,
Aeterna dona poſsidet.
Ob hoc precatu ſupplici,
Te poſcimus piiſsime,
In hoc triumpho martyris,
Dimitte noxam ſeruulis.

Laus & perennis gloria,
Deo patri cum filio,
Sancto ſimul paraclito
In ſempiterna ſecula. Amen.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.118. ETenim ſederunt principes, & aduersùm me loquebantur, & iniqui perſecuti ſunt mè, adiuua me Domine Deus meus, quia ſeruus tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus.
Ibid. Pſalm. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

DA nobis, quæſumus Domine, imitari quod colimus, vt diſcamus & inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui
Actor.7. nouit etiam pro perſequentibus exorare. Per Dominum &c.

EPISTOLA ACTO. VI. ET VII.

IN *diebus illis: Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur: Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos ſemper Spirituiſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ità & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occide-*

ciderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus *ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Cùm autem eſſet plenus ſpiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriã* Dei, *&* IESVM *ſtantem à dextris virtutis* Dei, *& ait:* Eccè *video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis* Dei. *Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.* Et *eijcientes eum extra ciuitatẽ, lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur* Saulus. *Et lapidabant* Stephanum *inuocantem & dicẽtem:* Domine IESV, *ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, dicens:* Domine IESV, *ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.* Et *cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino.*

GRADVALE.

SEderunt principes, & aduersùm me loquebantur, & iniqui perſecuti ſunt me. Verſ. Adiuua me Domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Alleluia. Verſ. Video cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei.

Pſal. 118. Pſal. 108. & 6. Actor. 7.

SEQVENTIA.

HAnc concordi famulatu colamus ſolennitatem, Authoris illius exemplo docti

benigno, Pro perſecutorum precantis fraude ſuorum. O Stephane ſignifer ſummi Regis bone, nos exaudi, Proficuè qui es pro tuis exauditus inimicis. Saulus tuis precibus Stephane, te quondàm perſecutus, Chriſto credit. Et tecum tripudiat in regno, cui nullus perſecutor appropinquat. Nos proindè, nos ſupplices ad te clamantes & precibus te pulſantes, Oratio ſanctiſſima nos tua ſemper conciliet Deo noſtro. Te Petrus Chriſti miniſtrum ſtatuit. Tu Petro normam credendi adſtruis, Ad dextrā ſummi patris oſtendendo, quem plebs furens crucifixit. Te ſibi Chriſtus elegit Stephane, Per quem fideles ſuos corroboret, Se tibi inter rotatus ſaxorum ſolatio manifeſtans. Nunc inter inclytas martyrum purpuras, coruſcas coronatus, Amen.

EVANGELIVM MATTH. XXIII.

IN *illo tempore:* Dixit IESVS *turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum:* Eccè *ego mitto ad vos prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine* Abel *iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij* Barachiæ, *quē occidiſtis inter templum & altare.* Amèn *dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Hieruſalem Hieruſalem,

quæ

quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? Eccè relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico *enim vobis, non me videbitis amodò donèc dicatis:* Be*nedictus qui venit in nomine* Domini.

OFFERTORIVM.

ELegerunt Apoſtoli Stephanum Leuitam, plenum fide & Spirituſancto: quem lapidauerunt Iudæi, orantem, & dicentem: Domine IESV, accipe ſpiritum meum. Act.6. Act.7.

COMMVNIO.

VIdeo cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei: Domine IESV, accipe ſpiritum meum, & nè ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. Ibid.

DE S. IOHANNE EVANGELISTA,

HYMNVS.

DE patre verbum prodiens,
De matre corpus induens,
Iohannis teſtimonio
Hoc erat in principio.
Iohannes virgo cæteris
Dilectior Apoſtolis,
Rogatus apud Epheſum,
Conſcripſit Euangelium:
Eructans almo pectore
Fluenta Euangelica.

Quæ

Quæ hauſit in conuiuio,
Paſſuro mundi Domino.
Aſſcendens crucis arborem,
Corruptionis inſciam,
IESVS huic diſcipulo,
Vt ſuimet vicario.
Vt virgo viri neſcia,
Et caſtitatis conſcia,
Solamen viri prouidi
Haberet diei ſeculi.
Accepit virgo virginem
Corruptionis inſciam,
Et par poſt Chriſtum filius
Deſeruit integerrimus.
Sancte Iohannes optime,
Abſolue noſtra crimina,
Vt mereamur liberi
Seruire ſummo principi.
Præſta beata Deitas,
Indulge clemens Trinitas,
Vt tibi caſto corpore
Famulemur omni tempore.

ALIVS, QVI COMMVNIS EST DE APOSTOLIS.

EXultet cælum laudibus,
Reſultet terra gaudijs,
Apoſtolorum gloriam

Sacra canunt ſolennia.
Vos ſecli iuſti iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite preces ſupplicum.
Qui cælum verbo clauditis,
Seraſq; eius ſoluitis,
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu quæſumus.
Quorum præcepto ſubditur
Salus & languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes virtutibus.
Vt, cùm iudex aduenerit,
Chriſtus in fine ſeculi,
Nos ſempiterni gaudij
Faciat eſſe compotes.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſq; ſoli filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

AD MISSAM INTROITVS.

IN medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus Spiritu ſapientiæ & intellectûs, ſtola gloriæ induit eum. Pſalm. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Eccl.15. Pſal.91.

COL

COLLECTA.

ECcleſiam tuam, quæſumus Domine, benignus illuſtra, vt beati Iohannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna. Per Dominũ, &c.

EPISTOLA ECCLESIAST. XV.

QVi timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam: & obuiabit illi quaſi mater honorificatà, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Cibabit illùm pane vitæ & intellectùs, & aqua ſapientiæ ſalutaris illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit eum apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ & intellectùs, & ſtola gloriæ veſtiet eum. Iucunditatem & exultationem theſaurizabit ſuper illum, & nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noſter.

GRADVALE.

Iohã. 21. EXijt ſermo inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur. Verſ. Sed ſic eum volo manere donèc veniam, tu me ſequere. Allelu-
Ibid. ia. Verſ. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimònium perhibet de his, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

SEQVENTIA.

IOhannes I E S V Chriſto multùm dilecte virgo, Tu eius amore carnalem in naui parẽ-

rentem reliquiſti: Tu lene coniugis pectus reſpuiſti, Meſſiam ſecutus. Tu eius pectoris ſacra meruiſti fluenta potare. Tuque in terra poſitus, gloriam conſpexiſti filij Dei, Quæ solùm ſanctis in vita creditur contuenda eſſe perenni. Te Chriſtus in cruce triumphãs matris ſuæ dedit cuſtodem, Vt virgo virginẽ ſeruares, atque curam ſuppeditares. Tu de carcere flagriſque fractus, teſtimonio pro Chriſto es gauiſus. Idem mortuos ſuſcitas, inque IESV nomine venenum forte vincis. Tibi ſummus tacitum cæteris verbum ſuum pater reuelat. Tu nos omnes precibus ſedulis apud DEVM ſemper commenda, Iohannes Chriſto chare, Amen.

EVANGELIVM IOHAN. XXI.

IN illo tempore, Dixit IESVS Petro: Sequere me. Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulũ, quẽ diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergò cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Si eum volo manere donèc veniam, quid ad te: Tu me ſequere. Exijt ergò ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus, Non moritur: ſed, Si eum volo manere donèc veniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc. Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

OFFERTORIVM.

Pſal.91. IVſtus vt palma florebit, ſicut cedrus quæ in Libano eſt, multiplicabitur.

COMMV.

Iohā.21. EXijt ſermo inter fratres, quòd diſcipulus ille nō moritur:& nō dixit Ieſus, Nō moritur; ſed, Sic eum volo manere donèc veniā.

DE PVERIS INNOCENTIBVS.

HYMNVS.

Pruden.

Saluete flores martyrum,
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit
Ceu turbo naſcentes roſas.
Vos prima Chriſti victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ánte ipſam ſimplices
Palma & corona luditis.
Audit tyrannus anxius
Adeſſe regum principem,
Exclamat amens nuncio,
Ferrum ſatelles arripe:
Mox omnis infans óccidat,
Scrutare nutricum ſinus,
Fraus nè qua furtìm ſubtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergò carnifex
Mucrone diſtricto furens

Effus

Effuſa nupèr corpora,
Animasq́; rimatur nouas.
O barbarum ſpectaculum
Vix interemptor inuenit
Locum minutis artubus,
Quo plaga deſcendat patens.
Quidprofuit tantum nefas?
Inter coæui ſanguinis
Fluenta ſolus integer
Impunè Chriſtus tollitur.
Sit Trinitati gloria,
Virtus, honor, victoria,
Quæ dat coronam teſtibus
Per ſeculorum ſecula.

IN DIE INNOCENTVM AD MISSAM INTROITVS.

EX ore infantium & lactentium Deus perfeciſti laudem tuam propter inimicos tuos. Pſal. 8. Pſal. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Ibid.

COLLECTA.

DEus, cuius hodierna die præconium Innocentes martyres nō loquendo, ſed moriendo cōfeſſi ſunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidem tuam quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum &c.

LECTIO APOCAL. XIIII.

IN diebus illis: Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et audiui vocem de cælo, tanquàm vocem aquarũ multarum, & tanquàm vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, ſicut citharœdorũ citharizantium in citharis ſuis: & cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores. Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadragintaquatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum, quocunquè ierit. Hi empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei.

GRADVALE.

Pſal.123. ANima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Verſ. Laqueus contri-
Ibidem. tus eſt, & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Laus tibi Chriſte. Verſ. Te martyrum candidatus laudat exercitus Domine.

SEQVENTIA.

LAus tibi Chriſte, cui ſapit quod videtur ceteris eſſe ſurdaſtrum: Famulatui cuius omnis competit ſexus & ætas. Recentes atque teneri milites Herodiano enſe trucidati, te ho-

hodiè prædicauerunt. Licèt nō potuerint lingula, effuſione tamen te Chriſte ſui ſanguinis præconati ſunt. Lac cum cruore fundentes, ad Deum clamitaturi. Vda pupilli quem gena miſeret & innocentis. Quis athletarum fortiſſimus vnquàm exercitibus tantam Chriſte ſuis contulit victoriam, Quantam vagiens coæuulis tuis tu præſtitiſti, mittens eos cęlum regnaturos perpetim? O Chriſti præcones clari, floresque martyrum coruſci, Et Confeſſorum inſignes gemmulæ ſanctorum, atque ſterilium in mundo virginum. Clari filioli, dulces puſioli, nos iuuate precibus. Quos Chriſtus, innocentem mortem veſtram miſerans pro ſeſe maturatam, placidus exaudiens, Nos regno ſuo dignetur: Amen.

EVANGELIVM MATTH. II.

IN *illo tempore: Angelus Domini apparuit in ſomnis* Ioſeph, *dicens: Surge, & accipe puerū & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibì vſquedùm dicam tibi. Futurum eſt enim vt* Herodes *quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & ſeceſſit in* Aegyptum. *Et erat ibì vſque ad obitum* Herodis, *vt adimpleretur quod dictum eſt à* Domino *per* Prophetā, *dicentem: Ex Aegypto vocaui filiū meū. Tūc* Herodes *vidēs quoniam illuſus eſſet à* Magis, *iratus eſt valdè, & mittēs occidit omnes pueros, qui erant in* Bethlehem, *& in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, ſecundùm* Oſee II.

tempus, quod exquiſierat à Magis. Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam *dicentem*:
Hier.31. *Vox in rhama audita eſt, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.*

OFFERTORIVM.

Pſal.123. Anima noſtra, vt ſuprà in Graduali.

COMMVNIO.

Matt.2. Hier.31. VOx in rhama audita eſt, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt,

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

INTROITVS, MISSAE.

Sap.18. DVm medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine de cælis à
Pſal.92. regalibus ſedibus venit. Pſalm. Dominus regnauit, decorem indutus eſt: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Dominum &c.

EPISTOLA AD GALAT. IIII.

FRatres: Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre: ità & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elementis huius mũdi eramus ſeruientes. At vbì venit plenitudo tẽporis, miſit Deus *filiũ ſuum, natũ ex muliere, factũ ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionẽ filiorum* Dei *reciperemus. Quoniam autem eſtis filij* Dei, *miſit* Deus *ſpiritũ filij ſui in corda veſtra, clamantem:* Abba pater. *Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius, & hæres per* Deum.

GRADVALE.

SPecioſus forma pręfilijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Verſ. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Alleluia. Omnes gentes plaudite manibus, Iubilate Deo in voce exultationis. Pſal.44. Ibid. Pſal.46.

SEQVENTIA.

Lætabundus, vt ſup. fol. 50.

EVANGELIVM LVCAE II.

IN illo tempore: Erant Ioſeph *&* Maria *mater* IESV *mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Et *benedixit illis* Simeon, *& dixit ad* Mariam *matrem eius:* Eccè, *poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in* Iſrael, *& in ſignum cui contradicetur: & tuã ipſius animã pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Et erat An-



na prophetiſſa, filia Phanuel *de tribu* Aſer. *Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.* Et *hæc vidua vſque ad annos octogintaquatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.* Et *hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur* Domino, *& loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem* Iſrael. *Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem* Domini, *reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuã* Nazareth. *Puer aũt creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia* Dei *erat in illo.*

OFFERTORIVM.

Pſal.92. DEus enim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata ſedes tua Deus ex tunc, à ſeculo tu es.

COM-

COMMVNIO.

TOlle puerum & matrem eius, & vade in terram Iuda: defuncti ſunt enim qui quærebant animam puerri. Matt.2.

IN FESTO CIRCVNCISIONIS DOMINI.

HYMNVS.

A ſolis ortus cardine. vt ſuprà.pag.37.

HYMNVS ALIVS DE CIRCVNCISIONE DOMINI.

CVltro ſecandi ſaxeo
Tenella Chriſtus membra dat:
Non venit, vt tollat ſui
Legem parentis, filius.
Parendo legis vincula
Nobis IESV *mitigas,*
Datoq; monſtras nomine
Tuæ fauorem gratiæ.
Hoc nomen eſt potentiæ,
Nouæq; ſignum gloriæ,
Et per quod vnum cælitus
Datur ſalus mortalibus.
Tu Chriſte non effabilis
Imago cæleſtis patris,
Da, nil colatur quàm tuum
In omne nomen ſeculum.

ALIVS CALENDIS IANVARII.

IStius Chriſtus pius author anni,
Det nouam vitam, placidosq́; mores,
Turpia in nobis veteris reſtinguat
Crimina culpæ.
Ipſe pollutæ maculas benignus
Diluat mentis, reſecetq́; vitæ
Hulcus antiquæ, tribuatq́; mundi
Pectoris ignes.
Sic eum toto veneremur anno
Cordibus puris, animisq́; gratis:
Sic & æterno merito colamus
Laudis honore.
Ille ſucceſſus tribuat beatos,
Adſit & noſtris precibus, ſuaq́;
Grátia, cunctis facilis bonúsque,
Dirigat actus.
Chriſte laus, virtus tibi dignitasq́;
Cum tuo ſemper Genitore ſancto;
Cumq́; cæleſti paracleto, vt omni
Perſonet æuo.

Reliqua vt in Natiuitate Domini.

INTROITVS MISSAE.

Eſa.9. iuxta I xx. Pſal.97. PVer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus. Pſal. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.

COLLECTA.

DEus, qui nobis nati Saluatoris diem celebrare concedis octauum, fac nos quæſumus eius perpetua diuinitate muniri, cuius ſumus carnali commercio reparati. Per Dominum &c.

EPISTOLA AD GALAT. III.

FRatres: Priuſquàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto IESV: *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto* IESV. *Si autem vos Chriſti, ergò Abrahæ ſemen eſtis, ſecundùm promiſsionem hæredes.*

GRADVALE.

VIderunt omnes fines terræ ſalutare Dei Pſal.97.
noſtri. Iubilate Deo omnis terra. Verſ. Ibid.
Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante 2.Eſd.8.
conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſu- Pſal.85.
am. Alleluia. Verſ. Dies ſanctificatus illu- Pſal.95.
xit nobis, venite gentes, & adorate Domi- Eſa.9.
num, quia hodiè deſcendit lux magna ſuper terram.

SEQVENTIA.

Natus ante ſecula. Vt ſuprà in die Natiuitat.

EVANGELIVM LVCAE II.



IN illo tempore: Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius IESVS *: quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.*

OFFERTORIVM.

Pſal.88. TVi ſunt cæli,& tua eſt terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundâſti: iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.

COMMVNIO.

Pſal.97. VIderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

IN FESTO EPIPHANIAE DOMINI.

HY-

HYMNVS.

HOſtis Herodes impie, Sedulij.
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.
Ibant Magi, quam viderant
Stellam ſequentes præuiam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Caterua matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora,
Quorum Tyrannus millia,
Chriſto ſacrauit victimam.
Lauacra puri gurgitis
Cæleſtis agnus attigit,
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo ſuſtulit.
Miraculis dedit fidem
Habere ſe Deum Patrem,
Infirma ſanans corpora,
Reſuſcitans cadauera.
Nouum genus potentiæ:
Aquæ rubeſcunt hydriæ,
Vinumq; iuſſa fundere,
Mutauit vnda originem.

Hic hymnus ſuperiori de Natali Domini, cuius eſt initium, A ſolis ortûs cardine, cohęret.

ret, ordine literarum Alphabeti conſcriptus, quemadmodū Dauidis Pſalmi aliquot: quarè quod reſtat de hoc Sedulij carmine, neque hîc prætermittendum eſſe putauimus.

ORat ſalutem ſeruulo
Flexus genu Centurio:
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per vndas ambulat,
Chriſti leuatus dextera,
Natura quam negauerat,
Fides parauit ſemitam.
Quarta die iam fœtidus
Vitam recepit Lazarus,
Cunctisq; liber vinculis
Factus ſuperſtes eſt ſibi.
Riuos cruoris horridi
Contacta veſtis obruit,
Fletu rigante ſupplicis
Arent fluenta ſanguinis.
Solutus omni corpore
Iuſſus repentè ſurgere,
Suis viciſſim greſſibus
Aeger vehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex,
Auſus magiſtrum tradere,
Pacem ferebat oſculo,

Quam

Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius:
Cruciq; fixus innocens,
Coniungitur latronibus.
Xeromyrrham poſt Sabbathum
Quædam vehebant corpori,
Quas allocutus Angelus,
Viuum ſepulcro non tegi.
Hymnis venite dulcibus,
Omnes canamus ſubditum
Chriſti triumpho tartarum,
Qui nos redemit venditus.
Zelum draconis inuidi,
Et os leonis peſſimi
Calcauit vnicus DEI,
Seſeq; cælis reddidit.

ALIVS.

NVncium vobis fero de ſupernis,
Natus eſt Chriſtus dominator orbis
In Bethlehem Iudæ, ſic enim Propheta
Dixerat antè.
Hunc canit lætus chorus Angelorum,
Stella declarat: veniunt Eoi
Principes dignò celebrare cultu
Myſtica dona.
Thus Deo, myrrham troglodyten humando,

Bra-

Bracteas regi chryſeas decenti
(Dum colunt vnum) meminêre trino
Tres dare terna.
Gloriam trinæ monadi canamus,
Cum Deo, diuæ genitæq; proli,
Flamini necnon ab vtroque fuſo
Corde fideli. Amen.

COLLECTA.

CORda noſtra, quæſumus Domine, venturæ feſtiuitatis ſplendor illuminet, quo mundi huius tenebris carere, & peruenire ad patriam claritatis æternæ valeamus. Per Dominum &c.

IN DIE EPIPHANIAE

INTROITVS MISSAE.

Mal. 3. 1.Re.24. Pſal.71. ECcè aduenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius & poteſtas & imperium. Pſal. Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis.

COLLECTA.

DEus, qui hodierno die vnigenitum tuum gentibus ſtella duce reuelâſti, concede propitius, vt qui te iam ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eundem Dñm &c.

ALIA.

DEus illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris,

ſtris, quod trium Magorum mentibus inſpiráſti, Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum &c.

LECTIO ESAIAE PROPHETAE.

SVrge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia eccè tenebræ operient terrā, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortûs tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti cōgregati ſunt, venerunt tibi. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quandò conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Eſa.60.

GRADVALE.

OMnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Dño annunciantes. Verſ. Surge, illuminare Hieruſalem, quia gloria Domini ſuper te orta eſt. Alleluia. Verſ. Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Eſa.60. Matt.2.

SEQVENTIA.

FEſta Chriſti omnis Chriſtianitas celebret, Quæ miris ſunt modis ornata, cunctiſque veneranda populis. Per omnitenentis aduen-

aduentum atque vocationem gentium, Vt natus eſt Chriſtus, eſt ſtella Magis viſa lucida. Et illi non caſſam putantes tanti ſigni gloriam, Secum munera deferunt, paruulo offerunt vt Regi cæli, quem ſidus prædicat. Atque aureo tumidi principis lectulo tranſito, Chriſti præſepe quæritant. Hinc ira ſæui Herodis feruida, inuidi recèns rectori genito, Bethlehem paruulos præcepit enſe crudeli perdere. O Chriſte quantum patri exercitum, iuuenis doctus ad bella maxima, populis prædicans colligis, ſugens cum tantis miſeris? Anno hominis triceſimo, ſubtus famuli ſe inclyti inclinauerat manus Deus, conſecrans nobis baptiſma in abſolutionem criminis. Ecce Spiritus in ſpecie ipſum alitis innocuę uncturus, ſanctis præ omnibus viſitat, ſemper ipſius contentus manſione pectoris. Patris etiam in-
Gen. 6. ſonuit vox pia, veteris oblíta ſermonis, pœni-
Pſal. 2. tet me feciſſe hominem. Verè filius es tu me-
Matt. 4. us, mihimet placitus, in quo ſum placatus, ho-
& 17. diè te, mi fili, genui. Huic omnes auſcultate
Pſal. 2. populi præceptori. Amen.

EVANGELIVM MATTH. II.

IN illo tempore: Cùm natus eſſet IESVS *in* Bethlehem *Iudæ, in diebus* Herodis *regis: eccè* Magi *ab* Oriente *venerunt* Hieroſolymam, *dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex* Iudæorum*? Vidimus enim ſtellã eius in* Oriente, *& venimus adorare eũ. Audiens autem* Herodes *rex, turbatus eſt, & omnis* Hieroſolyma *cum illo.*



illo. Et congregans omnes principes ſacerdotũ & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem terrę Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetã: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meũ Iſrael. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent regem, abiêrunt. Et eccè ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſquedùm veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum, inuenerunt puerum

 cum

cum Maria matre eius: & procidentes, adorauerunt eum. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, nè redirent ad Herodem, per aliã viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

OFFERTOR.

Pſal.71. REges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.

COMMVNIO.

Matt.2. VIdimus ſtellã eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

COLLECTA IN VESPERIS.

VOta, quæſumus, ſupplicãtis populi cæleſti pietate proſequere: vt & quæ agenda ſunt, videant: & ad implenda quæ viderunt, conualeſcant. Per Dominum &c.

Antiph. de beata virgine.

NEſciens mater virgo virum, peperit ſine dolore ſaluatorem ſeculorum: ipſum regem Angelorum ſola virgo lactabat vbere de cælo pleno. Verſ. Poſt partum &c.

ORATIO.

DEus, qui ſalutis æternæ beatæ Marię virginitate fœcunda, humano generi præmia

mia præſtitiſti, tribue quæſumus, vt eam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus authorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

AD MISSAM INTROITVS,

IN excelſo throno vidi ſedere virum, quem adorat multitudo Angelorum, pſallentes in vnū: Eccè cuius imperij nomen eſt in æternum. Pſal. Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia. 1.Tim 6. 1.Pet.4. Pſal.99.

COLLECTA.

Vota quæſumus &c. Vt ſuprà in veſperis.

EPISTOLA AD ROMAN. XII.

FRatres: *Obſecro vos per miſericordiam* Dei, *vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,* Deo *placentem, rationabile obſequiū veſtrum: & nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſensûs veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas* Dei *bona, & benè placens, & perfecta.* Dico *enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut* Deus *diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ità multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, in Chriſto* Ieſu *Domino noſtro.*

GRADVALE.

F 2 Bene-

Pſal.71. BEnedictus Dominus Deus Iſrael, qui facis mirabilia magna ſolus à ſeculo. Verſ. Suſ-
Ibid. cipiant montes pacem populo tuo, & colles
Pſal.99. iuſtitiam. Alleluia. Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia.

EVANGELIVM LVC. II.



IN illo tempore: Cùm factus eſſet Ieſus annorũ duodecim, aſſcendentibus illis Hieroſolymam *ſecundùm conſuetudinem diei feſti: conſummatisq; diebus, cùm redirent, remanſit puer* Ieſus *in* Hieruſalem, *& non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non inuenientes, regreſſi ſunt in* Hieruſalem, *requirentes eum. Et factum*

eſt,

eſt, poſt triduum inuenerunt illũ in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Eccè pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et IESVS proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

OFFERTOR.

IVbilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lętitia: intrate in conſpectu eius in exultatione, quia Dominus ipſe eſt Deus. Pſal. 99.

COMMVNIO.

FIli, quid feciſti nobis ſic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid eſt, quòd quærebatis me? Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Luc. 2.

DOMINICA II.

POST EPIPHANIAM.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.65. OMnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo altiſſime. Verſ.
Ibid. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cæleſtia ſimul & terreſtria moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA AD ROM. XII.

FRatres: *Habentes donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam, ſecundùm rationem fidei: ſiue miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in ſimplicitate: qui præeſt, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate.* Dilectio *ſine ſimulatione: odientes malum, adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicèm diligentes, honore inuicèm præuenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.* Benedicite *perſequentibus vos.* Benedicite, *& nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Id *ipſum inuicèm ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.*

GRADVALE.

Miſit

MIſit Dominus verbum ſuum & firmauit Pſal.106.
eos, & eripuit eos de interitu eorũ. Verſ.
Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & Ibid.
mirabilia eius filijs hominum. Alleluia. Verſ.
Laudate Deum omnes Angeli eius, laudate Pſal.148.
eum omnes virtutes eius.

EVANGELIVM IOHAN. II.



IN illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu *ibi. Vocatus eſt autem &* Ieſus *& diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater* Ieſu *ad eum: Vinum non habẽt. Et dicit ei* Ieſus*: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundùm purificationem* Iudæorum,

capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus: *Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſq; ad ſummum.* Et dicit eis Ieſus: *Haurite nunc, & ferte architriclino. & tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vndè eſſet: miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſpõſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tũc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruâſti bonum vinum vſque adhuc.* Hoc *fecit initium ſignorum* Ieſus *in* Cana Galilææ, *& manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum* Diſcipuli *eius.*

OFFERTOR.

Pſal. 65. IVbilate Deo vniuerſa terra, Iubilate Deo vniuerſa terra, pſalmũ dicite nomini eius: venite & audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. Alleluia.

COMMV.

Iohan. 2. DIcit Dominus, Implete hydrias aqua, & ferte architriclino. Dum guſtâſſet architriclinus aquam vinum factam, dicit ſponſo: Seruâſti bonum vinum vſque adhuc. Hoc ſignum fecit IESVS primum coram diſcipulis ſuis.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

AD

AD MISSAM INTROITVS.

ADorate Dominum omnes Angeli eius: audiuit & lętata eſt Sion,& exultauerunt filiæ Iudæ. Pſalm. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Pſal.96. Ibid.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ Maieſtatis extende. Per Dominum &c.

EPISTOLA AD ROM. XII.

FRatres: Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos: nulli malum pro malo reddentes, prouidẽtes bona, non tantùm coram Deo, *ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes, non voſmetipſos defendentes, chariſsimi: ſed date locum iræ. Scriptũ eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit* Dominus. Sed *& ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.* Hoc *enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Noli *vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

GRADVALE.

TImebunt gentes nomen tuum Domine,& omnes reges terræ gloriam tuam. Verſ. Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in maieſtate ſua. Alleluia. Verſ. Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob, canite pſalmum cum cithara. Pſal.101. Ibid. Pſal.80.

EVANGELIVM MATTH. VIII.



IN *illo tempore : Cùm deſcendiſſet* Ieſus *de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Et eccè *leproſus veniens adorabat eum, dicens :* Domine, *ſi vis, potes me mundare.* Et *extendens* Ieſus *manum, tetigit eum, dicens:* Volo, *mundare.* Et *confeſtìm mundata eſt lepra eius.* Et *ait illi* Ieſus : Vide *nè cui dixeris, ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit* Moiſes *in teſtimonium illis. Cùm autem introiſſet in* Capernaum, *acceßit ad eum* Centurio, *rogans eum, & dicens :* Domine, *puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Et *ait illi* Ieſus: Ego *veniam & curabo eum.* Et *reſpondens* Centurio, *ait:* Domine, *non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Nam *& ego homo*

homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alio, Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit. Audiēs autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.

OFFERTORIVM.

DExtera Domini fecit virtutē, dextera Domini exaltauit me: non moriar, ſed viuā, & narrabo opera Domini. Pſal.117.

COMMVNIO.

MIrabantur omnes de his, quæ procedebant de ore Dei. Luc.4.

DOMINICA IIII.

POST EPIPHANIAM.

AD MISSAM INTROITVS.

Adorate Deum omnes &c. vt in præcedenti Dominica. Pſal.96.

COLLECTA.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non

poſſe conſiſtere, da nobis ſalutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum.

EPISTOLA AD ROM. XIII.

FRatres: Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces rem proximi tui: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis eſt dilectio.

GRADVALE.

Timebunt gentes &c. vt ſuprà præcedenti Dominica.

EVANGELIVM MATTH. VIII.



In

IN illo tempore: *Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ità vt nauicula operiretur fluctibus: Ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens Ieſus, imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*

OFFERTO. ET COMMV.

Vt in Dominica præcedenti.

DOMINICA V.

POST EPIPHANIAM.

INTROITVS MISSAE.

Vt ſuprà. COLLECTA.

FAmiliam tuam, quæſumus, Domine continua pietate cuſtodi, vt quę in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per Dominum &c.

EPIST. AD COLOSS. III.

FRatres: *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis: ſi quis aduerſus aliquem*

habet

habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ità & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quam & vocati eſtis in vno corpore, & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in pſalmis & hymnis & cãticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Domino. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum &c.

GRADVALE.

Timebunt &c. vt ſuperioribus Dominicis.

EVANGELIVM MATTH. XIII.



In

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolã hanc: Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliâs, dixerunt ei: Domine, nonnè bonum ſemen ſeminâſti in agro tuo? Vndè ergò habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Non. Nè fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraquè creſcere vſque ad meſſem: & in tempore meſ?is dicã meſſoribus, Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendũ. Triticum autem congregate in horreum meum.

OFFERTOR.

Dextera Domini &c. vt in præcedentibus Dominicis. Sic & Communio.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

INTROITVS MISSAE.

CIrcundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me: & in tribulatione mea inuocaui Domiuum, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Pſal. 17.

Pſal.

Ibid. Pſal. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

COLLECTA.

PReces populi tui Domine, quæſumus, clementer exaudi, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum.

EPIST. I. AD CORIN. IX. & X.

FRatres: Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currũt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt compræhendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidẽ, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè fortè cùm aliijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſiêrunt, & omnes in Moiſe *baptizati ſunt in nube & in mari, et omnes eandem ſpiritalem eſcam manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt:* Bibebant *autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.*

GRADVALE.

Pſal.9. ADiutor in oportunitatibus, in tribulatione: Sperẽt in te qui nouerunt te, quoniam non

non derelinquis quærentes te Domine. Verſ. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: Ibid.
patientia pauperum non peribit in æternum: exurge Domine, non præualeat homo.

TRACTVS.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal.119.

Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſerui tui.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

EVANGELIVM S. MATT. XX.



IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorũ homini patriſami-

liâs, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuã. Et egreſſus circa horam tertiã, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & dixit illis: Ite *& vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis.* Illi *autem abiêrũt.* Iterùm *abijt circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimã verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hìc ſtatis tota die ocioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dixit illis:* Ite *& vos in vineam meam. Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cùm ergò veniſſent, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi, acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios: & accipientes, murmurabant aduersùs patremfamiliâs, dicentes:* Hi *nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus. At ille reſpondens vni eorum, dixit:* Amice, *non facio tibi iniuriam.* Nonnè *ex denario diurno conueniſti mecum?* Tolle *quod tuum eſt, & vade.* Volo *autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Sic *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Multi *enim ſunt vocati, pauci*

verò

verò electi.

OFFERTORIVM.

BOnum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Pſal.91.

COMMVNIO.

ILlumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericordia: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Pſal.118. Pſal.30.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

INTROITVS.

EXurge, quarè obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quarè faciem tuam auertis? obliuiſceris tribulationis noſtræ, adhæſit in terra venter noſter: exurge Domine, adiuua nos, & libera nos. Pſal. Deus, auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annunciauerunt nobis. Pſal.43. Ibid.

COLLECTA.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione cõfidimus: concede propitius, vt contra aduerſa omnia, doctoris gentium protectione muniamur. Per.

EPIST. II. COR. XI. ET XII.

F*Ratres: Libẽter ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem,*

redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Secundùm *ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte.* In *quo quis audet, (in inſipientia dico) audeo & ego.* He*bræi ſunt, & ego:* Iſraelitæ *ſunt, & ego: ſemen* Abra*hæ ſunt, & ego: miniſtri* Chriſti *ſunt, & ego, (vt minùs ſapiens dico) plùs ego.* In *laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* A Iudæis *quinquiès quadragenas, vna minùs, accepi.* Tèr *virgis cæſus ſum, ſemèl lapidatus ſum, tèr naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium* Eccleſiarum. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* Deus *& pater* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quòd non mentior:* Damaſci

Actor.9. *præpoſitus gentis* Aretæ *regis cuſtodiebat ciuitatē* Da*maſcenorum, vt me cōprælienderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Si *gloriari oportet, (nō expedit quidem)* Veniam

autem

autem ad viſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem, (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem, nè quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et nè magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod tèr Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Chriſti.

GRADVALE.

SCiant gentes quoniam nomen tibi Deus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Pſal.82.
Verſ. Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Ibid.

TRACTVS.

COmmouiſti Domine terram, & conturbâſti eam. Ver. Sana cõtritiones eius, quia Pſal.59.

 mota

mota eſt. Verſ. Vt fugiant à facie arcûs, vt liberentur electi tui.

EVANGELIVM LVC. VIII.



IN illo tempore: Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarẽt ad Ieſum, dixit per ſimilitudinẽ: Exijt, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud: & aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem: & aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud: & aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt

nôſſe

nôſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes nõ intelligãt. Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deindè venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, nè credentes, ſalui fiant. Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audiêrunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum, retinent illud, & fructum adferunt in patientia.

OFFERTORIVM.

PErfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te Domine. Pſal.16.

COMMVNIO.

INtroibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Pſal.42.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 30. ESto mihi in Deum protectorē & in locum refugij, vt ſaluum me facias: quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enu-
Ibid. tries me. Pſal. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

COLLECTA.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, atque à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos aduerſitate cuſtodi. Per.

EPISTOLA I. CORINTH. XIII.

FRatres: *Si linguis hominũ loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem aũt non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas nõ æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non iritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat,*

ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquàm excidit, ſi-ue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfe-ctum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruu-lus, cogitabam vt paruulus. Quandò autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes, cha-ritas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.

GRADVALE.

TV es Deus qui facis mirabilia ſolus, no- Pſal. 76.
tam feciſti in gentibus virtutem tuam. Verſ. Liberâſti in brachio tuo populum tuum filios Iſrael & Ioſeph.

TRACTVS.

IVbilate Deo omnis terra, ſeruite Domino Pſal. 99.
in lætitia. Verſ. Introite in conſpectu eius in exultatione. Verſ. Scitote quòd Dominus ipſe eſt Deus. Verſ. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Verſ. Nos autem populus eius & oues pa- Pſal. 94.
ſcuæ eius.

EVANGELIVM LVC. XVIII.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus duodecim, & ait illis: Eccè aſſcendimus Hieroſolymam, & conſum-mabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de

habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ità & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quam & vocati eſtis in vno corpore, & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in pſalmis & hymnis & cāticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Domino. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum &c.

GRADVALE.

Timebunt &c. vt ſuperioribus Dominicis.

EVANGELIVM MATTH. XIII.



In

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolã hanc: Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliàs, dixerunt ei: Domine, nonnè bonum ſemen ſemináſti in agro tuo? Vndè ergò habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Non. Nè fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: & in tempore meſſis dicã meſſoribus, Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendũ. Triticum autem congregate in horreum meum.

OFFERTOR.

Dextera Domini &c. vt in præcedentibus Dominicis. Sic & Communio.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

INTROITVS MISSAE.

CIrcundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me: & in tribulatione mea inuocaui Domiuum, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Pſal. 17.

Pſal.

Ibid. Pſal. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

COLLECTA.

PReces populi tui Domine, quæſumus, clementer exaudi, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum.

EPIST. I. AD CORIN. IX. & X.

FRatres: Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currũt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidẽ, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moiſe baptizati ſunt in nube & in mari, et omnes eandem ſpiritalem eſcam manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.

GRADVALE.

Pſal. 9. ADiutor in oportunitatibus, in tribulatione: Sperẽt in te qui nouerunt te, quoniam non

non derelinquis quærentes te Domine. Verſ.
Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: Ibid.
patientia pauperum non peribit in æternum:
exurge Domine, non præualeat homo.

TRACTVS.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal.119.

Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſerui tui.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

EVANGELIVM S. MATT. XX.



IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorũ homini patrifamilias,

liâs, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuã. Et egreſſus *circa horam tertiã, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & dixit illis:* Ite *& vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis.* Illi *autem abiêrũt.* Iterùm *abijt circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter.* Circa *vndecimã verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hìc ſtatis tota die ocioſi?* Dicunt *ei: Quia nemo nos cõduxit. Dixit illis:* Ite *& vos in vineam meam. Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo:* Voca *operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cùm ergò veniſſent, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios.* Venientes *autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi, acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios: & accipientes, murmurabant aduersùs patremfamiliâs, dicentes:* Hi *nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* At *ille reſpondens vni eorum, dixit:* Amice, *non facio tibi iniuriam.* Nonnè *ex denario diurno conueniſti mecum?* Tolle *quod tuum eſt, & vade.* Volo *autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Aut *non licet mihi quod volo facere?* An *oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Sic *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Multi *enim ſunt vocati, pauci*

verò

verò electi.

OFFERTORIVM.

BOnum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Pſal. 91.

COMMVNIO.

ILlumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericordia: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Pſal. 118. Pſal. 30.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

INTROITVS.

EXurge, quarè obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quarè faciem tuam auertis? obliuiſceris tribulationis noſtræ, adhæſit in terra venter noſter: exurge Domine, adiuua nos, & libera nos. Pſal. Deus, auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annunciauerunt nobis. Pſal. 43. Ibid.

COLLECTA.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione cõfidimus: concede propitius, vt contra aduerſa omnia, doctoris gentium protectione muniamur. Per.

EPIST. II. COR. XI. ET XII.

FRatres: Libẽter ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem,

redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Secundùm *ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet, (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen* Abrahæ *ſunt, & ego: miniſtri* Chriſti *ſunt, & ego, (vt minùs ſapiens dico) plùs ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* A Iud*æis quinquiès quadragenas, vna minùs, accepi.* Tèr *virgis cæſus ſum, ſemèl lapidatus ſum, tèr naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium* Eccleſiarum. Q*uis infirmatur, & ego non infirmor?* Q*uis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deus & pater* Domini *noſtri* I*eſu* C*hriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quòd non mentior:* Damaſci

Actor.9. *præpoſitus gentis* Aretæ *regis cuſtodiebat ciuitatē* Da*maſcenorum, vt me cōprehenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Si *gloriari oportet, (nō expedit quidem)* Veniam *autem*

autem ad viſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem, (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem, nè quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et nè magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod tèr Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Chriſti.

GRADVALE.

SCiant gentes quoniam nomen tibi Deus, Pſal.82.
tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.
Verſ. Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut Ibid.
ſtipulam ante faciem venti.

TRACTVS.

COmmouiſti Domine terram, & contur- Pſal.59.
bâſti eam. Ver. Sana cõtritiones eius, quia

mota eſt. Verſ. Vt fugiant à facie arcûs, vt liberentur electi tui.

EVANGELIVM LVC. VIII.



IN illo tempore: Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarẽt ad Ieſum, dixit per ſimilitudinẽ: Exijt, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud: & aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem: & aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud: & aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt nôſſe

nôſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes nõ intelligãt. Eſt autem hæc parabola : Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deindè venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, nè credentes, ſaluifiant. Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audièrint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audièrunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum, retinent illud, & fructum adferunt in patientia.

OFFERTORIVM.

PErfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea : inclina aurem tuam, & exaudi verba mea : mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te Domine. Pſal.16.

COMMVNIO.

INtroibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Pſal.42.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 30. ESto mihi in Deum protectorē & in locum refugij, vt ſaluum me facias: quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enu-
Ibid. tries me. Pſal. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

COLLECTA.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, atque à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos aduerſitate cuſtodi. Per.

EPISTOLA I. CORINTH. XIII.

FRatres: *Si linguis hominū loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem aūt non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas nō æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat,*

ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquàm excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quandò autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.

GRADVALE.

TV es Deus qui facis mirabilia ſolus, notam feciſti in gentibus virtutem tuam. Pſal. 76. Verſ. Liberâſti in brachio tuo populum tuum filios Iſrael & Ioſeph.

TRACTVS.

IVbilate Deo omnis terra, ſeruite Domino Pſal. 99. in lætitia. Verſ. Introite in conſpectu eius in exultatione. Verſ. Scitote quòd Dominus ipſe eſt Deus. Verſ. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Verſ. Nos autem populus eius & oues paſcuæ eius. Pſal. 94.

EVANGELIVM LVC. XVIII.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus duodecim, & ait illis: Eccè aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de



ſilio hominis. Tradetur enim gẽtibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquàm flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt: erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. Et cùm audiret turbã prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd IESVS Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: IESV fili Dauid, miſerere meì. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret: ipſe verò multò magis clamabat: Fili Dauid, miſerere meî. Stans aũt IESVS, iuſſit illum adduci ad ſe: & cùm appropinquâſſet, interrogauit illum,

*lum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domi-
ne, vt videam. Et Ieſus dicit ei: Reſpice, fides tua te ſal-
uum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum,
magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit lau-
dem Deo.*

OFFERTORIVM.

BEnedictus es Domine, doce me iuſtifica- Pſal. 118.
tiones tuas. Benedictus es Domine, doce
me iuſtificationes tuas: in labijs meis pronun-
ciaui omnia iudicia oris tui.

COMMVNIO.

MAnducauerunt, & ſaturati ſunt nimìs: & Pſal. 77.
deſiderium eorum attulit eis Dominus,
non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.

DOMINICA IN QVADRAGESIMA.

AD PRIMAS VESPERAS.

HYMNVS.

*AVdi benigne conditor
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium:
Ad te reuerſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
Multùm quidem peccauimus,*

Parcasq;

Pœnas q́; comparauimus:
Sed cuncta qui ſolus potes,
Confer medelam languidis.
Sic corpus extrà conteri
Dona per abſtinentiam,
Ieiunet vt mens ſobria
A labe prorsùs criminum.
Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

ANTIPH.

ECcè nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies ſalutis: in his ergo diebus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in vigilijs, & in charitate non ficta.

COLLECTA.

Preces noſtras, pag. 104.

SVFFRAG.

Eſa. 58. TVnc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Eccè adſum.

COLLECTA.

DA nobis, quæſumus omnipotens Deus, æternæ promiſſionis gaudia quærere, & quæſita citiùs inuenire.

AD MATVTINAS.

HYMNVS.

EX more docti myſtico,
Seruemus hoc ieiunium,

Deus

Deno dierum circulo
Ducto quatèr notiſsimo.
Lex & prophetæ primitùs
Hoc protulerunt, poſtmodùm
Chriſtus ſacrauit, omnium
Rex atque Factor temporum.
Vtamur ergò parciùs
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctiùs
Perſtemus in cuſtodia.
Vitemus autem peſsima,
Quæ ſubruunt mentes vagas,
Nullumq; demus callido
Hoſti locum tyrannidis.
Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli,
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem:
Noſtris malis offendimus
Tuam Deus clementiam,
Effunde nobis deſupèr
Remiſſor indulgentiam.
Memento quòd ſumus tui,
Licèt caduci, plaſmatis:
Nè des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.
Laxa malum quod geſsimus,

Auge

Auge bonum quod poſcimus,
Placere quô tandèm tibi
Poſſimus hîc & perpetim.
Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera, Amen.

ALIVS.

IESV *quadragenariæ*
Dicator abſtinentiæ,
Qui ob ſalutem mentium
Hoc ſanxeras ieiunium.
Quô paradiſo redderes
Seruata parſimonia,
Quos indè gaſtrimargia
Huc illecebroſa depulit.
Adeſto nunc Eccleſiæ,
Adeſto pœnitentiæ,
Qua pro ſuis exceſſibus
Orat profuſis fletibus.
Tu retrò acta crimina
Tua remitte gratia,
Et à futuris adhibe
Cuſtodiam mitiſſime.
Vt expiati annuis
Ieiuniorum victimis,
Tendamus ad Paſchalia

Dignè colenda gaudia.
Præſta pater per filium,
Præſta per almum ſpiritum,
Cum his per æuum triplici
Vnus Deus cognomine.

AD LAVDES HYMNVS.

IAm Chriſte ſol iuſtitiæ,
Mentis dieſcant tenebræ,
Virtutum vt lux redeat,
Terris diem cùm reparas.
Dans tempus acceptabile,
Et pœnitens cor tribue,
Conuertat vt benignitas
Quos longa ſuffert pietas.
Quiddamq; pœnitentiæ
Da ferre quamuis grauium,
Maiore tuo munere
Quo demptio fit criminum.
Dies venit dies tua,
In qua reflorent omnia,
Lætemur in hac vt tuæ
Per hanc reducti gratiæ.
Te rerum vniuerſitas,
Clementer adoret Trinitas,
Et nos noui per veniam,
Nouum canamus canticum, Amen.

AD SECVNDAS VESPERAS.
HYMNVS.

HYMNVS.

AD preces noſtras Deitatis aures
Deus inclina, pietate ſola
Supplicum vota ſuſcipe, precamur,
Famuli tui.

Reſpice clemens ſolio de ſancto
Vultu ſereno: lampades illuſtra
Lumine tuo, tenebras depelle
Pectore noſtro.

Crimina laxa pietate multa,
Ablue ſordes, vincula diſrumpe,
Parce peccatis, releua iacentes
Dextera tua.

Te ſine tetro mergimur profundo,
Labimur alta ſceleris ſub vnda,
Brachio tuo trahimur ad clara
Sidera cæli.

Chriſte lux vera, bonitas & vita,
Gaudium mundi, pietas immenſa,
Qui nos à morte roſeo ſaluâſti
Sanguine tuo.

Inſere tuum, petimus, amorem
Mentibus noſtris, fidei refunde
Lumen æternum, charitatis auge
Dilectionem.

Tu nobis dona fontem lachrymarum,
Ieiuniorum fortia miniſtra,

Vitia

Vitia carnis millia retunde
Framea tua.
Procul à nobis perfidus abſiſtat
Satan, à tuis viribus confractus:
Sanctus aſsiſtat Spiritus à tua
Sede demiſſus.
Gloria Deo ſit æterno Patri,
Sit tibi ſemper genitoris Nate,
Cum quo æqualis Spiritus per cuncta
Secula regnat. Amen.

ANTIPHONA.

MEdia vita in morte ſumus, quem quærimus adiutorem, niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris iuſtè iraſceris? ſancte Deus, ſancte fortis, ſancte & miſericors ſaluator, amaræ morti nè tradas nos.

COLLECTA.

DEus, qui ſperantibus in te miſereri potiùs eligis quàm iraſci, da nobis quæſumus dignè deflere mala quæ fecimus, vt conſolationis tuæ gratiam inuenire, & ad gloriam æternæ beatitudinis peruenire valeamus. Per Dominum.

INTROITVS MISSAE.

INuocauit me, & ego exaudiam eum: eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum. Pſal. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Pſal. 90. Ibid.

COLLECTA.

DEus, qui eccleſiam tuam annua quàdrageſimali òbſeruatione purificas, præſta familiæ tuæ, vt quod à te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur.

EPISTOLA II. CORINT. VI.

FRatres: *Hortamur vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* Eccè *nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies ſalutis.* Nemini *dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut* Dei *miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs multis, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpirituſancto, in charitate nonficta, in verbo veritatis, in virtute* Dei: *per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonã famã: vt ſeductores, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi moriẽtes, & eccè viuimus: vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

GRADVALE.

Pſal. 90. ANgelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Verſ. In manibus

portabunt, nè vnquàm offendas ad lapidem pedem tuum.

TRACTVS.

QVi habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Ibid.

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.

Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante per diem, à negocio perambulante in tenebris, à ruina & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, tibi autē non appropinquabit.

Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te, nè vnquàm offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eū: protegam eum, quoniam cognouit nomē meum.

Inuocauit me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione.

Eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

EVANGELIVM SECVNDVM MATTH. IIII.



IN illo tempore: Ductus eſt IESVS in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunâſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſurijt. Et accedens Tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens,
Deut 8. dixit: Scriptum eſt, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctā ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es,
Pſal.90. mitte te deorsùm. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS:

Rur-

Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterùm aſſumpſit eum diabolus in montem ex- Deut. 6.
celſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: *Vade Satana, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum* Deut. 6.
adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum dia- & 10.
bolus. Et eccè Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

OFFERTORIVM.

SCapulis ſuis obumbrabit tibi Dominus, & Pſal. 90.
ſub pennis eius ſperabis: Scuto circundabit te veritas eius.

COMMVNIO.

Scapulis &c. vt in Offertorio. Ibid.

DOMINICA II.

INTROITVS.

REminiſcere miſerationum tuarum Do- Pſal. 24.
mine, & miſericordiæ tuæ, quæ à ſeculo ſunt, nè vnquàm dominentur nobis inimici noſtri. Libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtijs noſtris. Pſal. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te cõfido, non erubeſcam.

COLLECTA.

DEus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interiùs exteriuſque cuſtodi, vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur

in mente. Per Dominum. &c.

EPISTOLA I. THESSAL. IIII.

FRatres: Rogamus & obſecramus vos in Domino IESV, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodò vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuū poſsidere in ſanctificatione & honore, non in paſsione deſiderij: ſicut & gentes, quæ ignorant Deum: & nè quis ſupergrediatur, neque circūueniat in negocio fratrem ſuum, quoniā vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem, in Chriſto IESV Domino noſtro.

GRADVALE.

Pſal. 24. TRibulationes cordis mei dilatatæ ſunt, de neceſſitatibus meis eripe me Domine. Verſ. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.

TRACTVS.

Matt. 15. DIxit Dominus mulieri Cananeæ: Non eſt bonum, ſumere panem filiorū & mittere canibus ad manducandum. Verſ. At illa dixit: Vtiquè Domine, nam & catelli edūt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Verſ. Ait illi IESVS: O mulier, magna

gna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti.

EVANGELIVM SECVNDVM MATTH. XV.



IN illo tempre : Egreſſus Ieſus, ſeceſsit in partes Tyri & Sidonis. Et eccè mulier Cananæa à finibus illis egreſſa, clamauit, dicens : Miſerere meî Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant eum, dicẽtes : Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait : Nõ ſum miſſus, niſi ad oues quæ per ierunt domus Iſrael. At illa venit, & adorauit eũ, dicens : Domine, adiuua me. Qui reſpõdens ait: Nõ eſt bonũ ſumere panẽ filiorũ, et mittere canibus. At illa dixit: Etiã Domine: Nã et catelli edũt de micis, quæ cadũt de menſa dominorũ ſuo-

rum. Tunc reſpondens IESVS, *ait illi: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.*

OFFERTORIVM.

Pſal.118. MEditabar in mādatis tuis quæ dilexi valdè, & leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi.

COMMVN.

Pſal.5. INtellige clamorem meū, intende voci orationis meæ rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine.

DOMINICA III.

AD PRIMAS VESPERAS.

HYMNVS.

SVmmi largitor præmij,
Spes qui es vnica mundi,
Preces intende ſeruorum
Ad te deuotè clamantum.
Noſtra te conſcientia
Grauè offendiſſe monſtrat:
Quam emundes, ſupplicamus,
Ab omnibus piaculis.
Si renuis, quis tribuet?
Indulge, quia potens es:
Si corde rogamus mundo,
Certè debes ex promiſſo.
Hoc ergò acceptato noſtrum,

Qui

Qui ſacrâſti ieiunium:
Quò myſticè Paſchalia
Capiamus ſacramenta.
Summa nobis hoc conferat
Et adoranda Trinitas,
In qua gloriatur vnus
Per cuncta ſecula Deus. Amen.

COLLECTA.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi, vt quæ in ſola ſpe gratiæ innititur, cæleſti etiam protectione muniatur. Per.

HYMNVS IN LAVDIBVS.

CLarum decus ieiunij
Monſtratur orbi cælitùs,
Quòd Chriſtus author omnium
Cibis dicauit abſtinens.
Hoc Moiſes charus Deo, Exod. 24. & 34.
Legiſq; lator factus eſt,
Hoc Heliam per aëra 4. Reg. 2.
Curru leuauit igneo.
Hinc Daniel myſteria Dan. 6. & 14.
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponſi Iohannes claruit.
Hæc nos ſequi dona Deus
Exempla parſimoniæ,

Tu robur auge mentium,
Dans ſpiritale gaudium.
Præſta pater per filium,
Præſta per almum ſpiritum,
Cum his per æuum triplici
Vnus Deus cognomine, Amen.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.24. OCuli mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos: reſpice in me, & miſerere mei, quoniam vnicus & pau-
Ibid. per ſum ego. Pſal. Ad te leuaui animam meam Deus meus, in te confido, non erubeſcam.

COLLECTA.

QVæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram, dexteram tuæ maieſtatis extende. Per.

EPISTOLA AD EPHES. V.

FRatres: *Eſtote imitatores* DEI, *ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut &* Chriſtus *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam* Deo *in odorem ſuauitatis.* Fornica*tio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, ſed magis gratiarum actio.* Hoc *enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno* Chriſti *&* Dei. Nemo *vos*

ſe-

ducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diſſidentiæ. Nolite ergò effici participes eorum. Eratis enim aliquandò tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis, in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

GRADVALE.

EXurge Domine, non præualeat homo: iudicentur gentes in conſpectu tuo. Verſic. In conuertendo inimicum meum retrorsùm, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Pſal.9.

TRACTVS.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Eccè ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum: Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: Ità oculi noſtri ad Dñm Deũ noſtrum, donèc miſereatur noſtrî. Miſerere nobis Dñe, miſerere nobis. Pſal.122.

EVANGELIVM S. LVC. XI.

I*N illo tempore:* Erat IESVS *eijciens dæmoniũ, & illud erat mutum.* Et *cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt:* In Beelzebub *principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Et *alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.* Ipſe *autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis:* Omne *regnũ in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Si *autẽ & Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodò ſtabit regnum ipſius? quia dicitis, in* Beelzebub *me eijcere dæmonia.*



Si autem ego in Beelzebub *eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt?* Ideò *ipſi iudices veſtri erunt.* Porrò *ſi in digito* Dei *eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum* Dei. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poßidet. Si autem fortior ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui nõ eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit:* Reuertar *in domum meam vndè exiui.* Et *cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam.* Tunc *vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe: & ingreßi habitant ibì, & fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.* Factũ

eſt

eſt autem cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

OFFERTORIVM.

IVſtitiæ Domini rectæ, lętificantes corda, & dulciora ſuper mel & fauum, & ſeruus tuus cuſtodit ea. Pſal. 18.

COMMVNIO.

PAſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidũ, vbi reponat pullos ſuos: altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus: beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Pſal. 83.

DOMINICA IIII.

LAETARE.

AD PRIMAS VESPERAS.

HYMNVS.

Summi largitor præmij. &c. vt ſup. pag. 120.

COLLECTA.

PRætende, quæſumus Domine, fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quę dignè poſtulant, conſequi mereantur. Per.

INTROITVS MISSAE.

LAetare Hieruſalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia qui in triſtitia fuiſtis, vt exultetis, & Eſa. 54.

ſatiemini ab vberibus conſolationis veſtræ.

Pſal.121. Pſal. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

COLLECTA.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, vt qui ex demerito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratię conſolatione reſpiremus. Per.

EPISTOLA AD GALAT. IIII.

Fratres: Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnũ de libera. Sed qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc *enim ſunt duo teſtamenta, vnũ quidem in monte Sina, in ſeruitutem generans, quæ eſt* Agar *(Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt* Hieruſalem,) *& ſeruit cum filijs ſuis.* I*lla autem quæ ſurſùm eſt* Hieruſalem, *li-*

Eſa.54. *bera eſt, quæ eſt mater noſtra. ſcriptum eſt enim:* L*ætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magìs, quàm eius, quæ habet virum.* Nos *autem fratres, ſecundùm Iſaac, promiſſionis filij ſumus.* Sed *quomodò tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum, ità & nunc.* Sed *quid dicit*

Gen.21. *Scriptura?* E*ijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Itaque *fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus*

ſtus nos liberauit.

GRADVATE.

LAetatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, Pſal.121.
in domum Domini ibimus. Verſ. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

TRACTVS.

QVi confidunt in Domino ſicut mons Si- Pſal.124.
on, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.

Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

EVANGELIVM S. IOHAN. VI.

IN illo tempore: Abijt IESVS *trans mare Galilaæ, quod eſt Tiberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Subijt ergò in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Erat *autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum. Cùm ſubleuâſſet ergò oculos* IESVS, *& vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippũ: Vndè ememus panes, vt manducent hi?* Hoc *autem dicebat, tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid facturus eſſet. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas, frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hîc, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tan-*



tãtos? Dixit *ergò* Ieſus: Facite *homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco.* Diſcubuerunt *ergò viri numero quaſi quinque millia.* Accepit ergò IESVS *panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Similiter *& ex piſcibus, quantum volebat.* Vt *autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis:* Colligite *quæ ſuperauerunt, fragmenta, nè pereant.* Collegerunt *ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.* Illi *ergò homines cùm vidiſſent quod* IESVS *fecerat ſignum, dicebant:* Quia *hic eſt verè* Propheta, *qui venturus eſt in mundum.*

OFFERTORIVM.

Lau-

LAudate Dominũ, quia benignus eſt: pſallite nomini eius, quoniam ſuauis: omnia quæcunque voluit, fecit, in cælo & in terra. Pſal. 134.

COMMVNIO.

HIeruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum: illuc enim aſſcenderunt tribus tribus Domini, ad confitendum nomini tuo. Pſal. 121.

DOMINICA IN PASSIONE.

IN PRIMIS VESPERIS.

HYMNVS.

VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium.
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.
Confixa clauis viſcera,
Tendens manus veſtigia,
Redemptionis gratia
Hîc immolata eſt hoſtia.
Quo vulneratus inſupèr
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda & ſanguine.
Impleta ſunt quæ concinit Pſal. 95. iuxta Lxx. Dicite in nationibus.
Dauid fideli carmine.
Dicens in nationibus:

quia Dñs regnauit à ligno.

Regnauit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tangere.
Beata cuius brachijs
Secli pependit precium,
Statera facta eſt corporis,
Tulitq; prædam tartari.
O crux aue, ſpes vnica
Hoc paſsionis tempore:
Auge pijs iuſtitiam,
Reisq; dona veniam.
Te ſumma Deus Trinitas
Collaudat omnis ſpiritus:
Quos per crucis myſterium
Saluas, rege per ſecula. Amen.

Antiphon. ſup. Magnificat.

Ioan. 8. EGo ſum qui teſtimoniũ perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me pater.

COLLECTA.

DEus, qui ſperantibus in te miſereri potiùs eligis quàm iraſci, da nobis dignè flere mala quæ fecimus, vt tuę conſolationis gratiam inuenire valeamus. Per.

HYMNVS AD MATVTINVM.

Pan-

PAnge lingua glorioſi
Prælium certaminis,
Et ſuper crucis trophæum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De parentis protoplaſti
Fraude facta condolens,
Quandò pomi noxialis
Morte morſu corruit,
Ipſe lignum tunc notauit,
Damna ligni vt ſolueret.
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris
Ars, vt artem falleret,
Et medelam ferret indè,
Hoſtis vndè læſerat.
Quandò venit ergò ſacri
Plenitudo temporũ,
Miſſus ab arce patris
Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali
Caro factus prodijt.
Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia,
Membra pannis inuoluta

Virgo mater alligat,
Et manus, pedéſque, crura
Stricta cingit faſcia.
Gloria & honor Deo
Vſquequò altiſsimo,
Vnà Patri Filióque,
Inclyto Paraclito,
Cui laus eſt & poteſtas
Per immenſa ſecula. Amen.

HYMNVS IN LAVDIBVS.

REx Chriſte factor omnium,
Redemptor & credentium,
Placare votis ſupplicum,
Te laudibus colentium.
Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera,
Virtute ſoluit ardua
Primi parentis vincula.
Qui es creator ſiderum,
Tegmen ſubîſti carneum,
Dignatus hanc viliſsimam
Pati doloris formulam.
Ligatus es, vt ſolueres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.
Cruci redemptor figeris,

Ter-

Terram ſed omnem concutis,
Tradis potentem ſpiritum,
Nigreſcit atque ſeculum.
Mox in paternæ gloriæ
Victor reſplendens culmine,
Cum ſpiritûs munimine
Defende nos rex optime.

ALIVS.

LVſtris ſex qui iam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente natus, ad hoc
Paßioni deditus
Agnus in cruce leuatur,
Immolandus ſtipite.
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnde profluit,
Terra, pontus, aſtra, mundus,
Quo lauantur flumine.
Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla ſylua talem profert,
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus ſuſtinet.
Flecte ramos arbor alta,

Tenſa laxa viſcera:
Et rigor denteſcat ille,
Quem dedit natiuitas,
Vt ſuperni membra regis
Miti tendas ſtipite.
Sola digna tu fuiſti,
Ferre ſecli precium,
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quam ſacer cruor perunxit,
Fuſus agni corpore.
Gloria & honor Deo,
Vſquequò altiſsimo,
Vnà patri filióque,
Inclyto paraclito,
Cui laus & poteſtas
Per immenſa ſecula. Amen.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 42. IVdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo eripe me, quia tu es Deus meus & fortitudo mea. Pſal. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum.

COLLECTA.

QVæſumus omnipotens Deus, familiã tuam ꝓpicius reſpice, vt te largiente regatur in corde, & te ſeruante cuſtodiatur in mente.

EPI-

EPISTOLA AD HEB. IX.

FRatres: Chriſtus aßiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculũ non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum aut taurorum, & cinis vitulæ adſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritumſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideò noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte ipſius intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromißionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. In Chriſto IESV *Domino noſtro.*

GRADVALE.

ERipe me Domine de inimicis meis, doce me facere voluntatem tuam. Verſ. Liberator meus, Domine, de gentibus iracundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripe me. Pſal.58. 142. Pſal.17.

TRACTVS.

SÆpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael, Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricauerunt pec- Pſal.128.

catores: prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum: confundantur &c.

EVANGELIVM S. IOHAN. VIII.



IN illo tempore: Dixit IESVS turbis Iudæorũ, & principibus ſacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quarè vos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Reſpondit IESVS: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonorâſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis, Si quis ſermonem meum ſer-

nauer

uauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerũt er-*gò ei Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt & Prophetæ: & tu dicis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abra-ham, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt. Quẽ teipſum facis?* Reſpondit IESVS: *Si ego glorifico me-ipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui glori-ficat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt.* Dixerunt ergò Iudæi ad eum: *Quinquaginta annos nondùm habes, & Abrahã vidiſti?* Dixit eis IESVS: *Amẽ amen dico vobis, antequàm Abrahã fie-ret, ego ſum.* Tulerunt ergò lapides, vt iacerẽt in eum. IESVS *autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.*

OFFERTORIVM.

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: retribue ſeruo tuo vt viuam, & cu-ſtodiam ſermones tuos: viuifica me ſecũdùm verbum tuum. Pſal. 118. Pſal. 118.

COMMVNIO.

HOc corpus quód pro vobis tradetur, hic calix noui Teſtamenti eſt in meo ſangui-ne, dicit Dominus: hoc facite, quotieſcunquè ſumitis, in meam commemorationem. Luc. 22. 1. Cor. 11.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

AD PRIMAS VESPERAS.

HYMNVS.

Vexilla regis &c. Vt ſup.pag. 129.

Antiphon.ſuper Magnificat.

Iohã.17. CLarifica me pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquàm mundus fieret.

COLLECTA.

TVeatur, quæſumus Domine, dextera tua populum tuum ſupplicantem, & purificatum dignanter erudiat, vt conſolatione pręſenti ad futura bona proficiat.

INTROITVS MISSAE.

DOmine, nè longè facias auxilium tuum à me,ad defenſionem meam adſpice : libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Pſal. Deus Deus meus reſpice in me, quarè me dereliquiſti longè à ſalute mea? Domine, nè longè &c.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem noſtrum carnem ſumere,& crucem ſubire feciſti : concede propitius,vt & patientiæ ipſius habere documenta, & reſurrectionis conſortia mereamur. Per Dominum noſtrum &c.

EPI-

EPISTOLA AD PHILIP. CAP. II.

FRatres: Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV: *Qui cùm in forma* Dei *eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem* Deo, *ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS *Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

GRADVALE.

TEnuiſti manum dextrã meã, & in volun- Pſal. 72.
tate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me. Verſ. Quàm bonus, Iſrael, Deus rectis corde? mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns.

TRACTVS.

DEus Deus meus reſpice in me: quarè me Pſal. 21.
dereliquiſti? Longè à ſalute mea, verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberâſti eos. Ad te clamauerunt,

runt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes qui videbant me, aſpernabantur me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob, magnificate eum. Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

EVANGELIVM MATTH. XXI.

C*Vm appropinquâſſet* Ieſus *Hieroſolymis, &c.* *Require ſup. Dominica* I. *Aduent. pag.* 27.

OFFERTORIVM.

Pſal. 68. IMproperium expectauit cor meum & miſeriam: & ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: conſolantem me quæſiui, & non inueni: & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

COMMVNIO.

Mat. 26. PAter, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

PAS-

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, EX QVATVOR EVANGELISTIS in vnum congeſta.



APpropinquabat dies feſtus Azymorum qui dicitur Paſcha; & dixit IESVS diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum & ſeniores in atrium principis ſacerdotum, qui dicitur Caiphas: & conciliū fecerunt, vt IESVM dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die feſto, nè fortè tumultus fieret in populo. Cùm autem eſſet IESVS Bethaniæ in domo Luc. 22.

domo Simonis leproſi, acceſsit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſchariotes, qui erat eum traditurus: Quarè hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat: & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit autem IESVS*: Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. Quid moleſti eſtis huic mulieri? Bonum opus operata eſt in me. Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, & quandocunquè volueritis, poteſtis illis benefacere: Me autem non ſemper habebitis. Quod potuit hæc, fecit: Præuenit enim vngere corpus meum ad ſepulturam. Amen dico vobis: Vbicunquè prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, hoc quoq; quod hæc fecit, narrabitur in memoriam eius. Intrauit autẽ Satanas in Iudam, cui cognomen erat Iſchariotes, qui erat vnus è duodecim: abijtq;, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum & magiſtratibus, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eũ tradã? Quo audito, gauiſi ſunt, & polliciti ſunt ei ſe daturos triginta argenteos. Et ille ſpopondit. Et ex eo tempore quærebat, quomodò opportunè illum traderet ſine turbis. Prima autem die azymorum, in quo neceſſè erat immolari Paſcha, acceſſerunt diſcipuli ad* IESVM*, dicentes: Vbì vis paremus tibi ad edẽdum*

Paſcha? Et miſit Petrum & Iohannem, dicens: Ecce, introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo hydriam aquæ portans. Sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliâs ædium: Dicit tibi magiſter: Tempus meũ propè eſt Apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Vbì eſt ergò diuerſorium, vbì Paſcha cum diſcipulis meis edam? Euntes autem diſcipuli, inuenerunt ſicut dixerat. Et parauerunt Paſcha. Itaque ante diem feſtum Paſchæ ſciens IESVS quòd veniſſet hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, vſque ad finem dilexit eos. Et cùm veſpera iam eſſet, venit & accubuit cum duodecim Apoſtolis. Cœna autẽ facta, cùm diabolus iam immiſiſſet in cor Iudæ Iſchariotis, vt proderet eũ, ſciens IESVS quòd omnia dediſſet ei pater in manus, & quòd à DEO exiſſet, & ad DEVM iret: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Et cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deindè miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergò ad Simonem Petrum. Dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Reſpondit IESVS: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus: Si nõn lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Petrus: Domine, non tantùm pedes

des meos, ſed & manus & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet qui proderet ſe. Propterea dixit, Non eſtis mundi omnes. Poſtquàm ergò lauiſſet pedes eorum, receptiſq; veſtibus ſuis accubuiſſet, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magiſtrum & Dominum, & benè dicitis, ſum etenim: Si ergò ego laui pedes veſtros, Dominus & magiſter, & vos debetis inuicèm alij aliorum lauare pedes. Exemplum enim præbui vobis, vt quemadmodùm ego feci vobis, ità & vos faciatis. Amen amen dico vobis, Non eſt ſeruus maior domino ſuo, neque legatus maior eſt eo qui legauit ipſum. Si hæc nouiſtis: beati eſtis ſi feceritis ea. Et diſcumbentibus eis, & mãducantibus, ait IESVS: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequàm patiar. Dico enim vobis: Poſthac non edam ex eo, donèc compleatur in regno Dei. Et accepto poculo, gratias egit, & dixit: Accipite hoc & diuidite inter vos: Dico enim vobis, quòd poſthàc non bibam de hoc fructu vitis, donèc regnum Dei veniat, cùm illud bibero vobiſcum nouum in regno patris mei. Veſcentibus autem eis, accepit IESVS panem: & poſtquàm gratias egiſſet, fregit, deditq; diſcipulis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens ca-

licem

licem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc *omnes:* Hic *eſt ſanguis meus noui* Teſtamenti, *qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Hoc *facite in meî recordationem. Dico autem vobis, quia non bibam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem, cùm illud bibam nouum vobiſcum in regno patris mei.* Et *biberunt ex eo omnes.* Tunc *dixit illis* Ieſus: Omnes *vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, quia ſcriptum eſt:* Percutiam *paſtorem, & diſpergentur oues gregis:* Sed *poſtquàm reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Reſpondens *autem Petrus, ait illi:* Etſi *omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquàm ſcandalizabor.* Et *ait illi* Ieſus: Priuſquàm *gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* At *ille ampliùs loquebatur:* Etſi *oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.* Non *de omnibus vobis loquor.* Ego *ſcio quos elegerim.* Sed *vt adimpleatur ſcriptura,* Qui *edit mecum panem, ſuſtulit aduersùm me calcaneum ſuum.* Hoc *nunc dico vobis, priuſquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis quòd ego ſum.* Amen *amen dico vobis, qui recipit quemcunque miſero, me recipit.* Qui *autem me recipit, recipit eum qui me miſit.* Cùm *hæc dixiſſet* Ieſus, *turbatus eſt ſpiritus: & accumbentibus edentibusq; illis, teſtatus eſt, dicens:* Amen *amen dico vobis, quòd vnus veſtrûm me proditurus eſt, qui edit mecum.* Mœſti *ergò vehementer redditi, adſpiciebant ſe inuicèm diſci-*

puli, hæſitantes de quo diceret. Et *cœperunt quærere inter ſe, quiſnam eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet, ac ſingulatìm ei dicunt:* Nunquid *ego ſum* Domine? At *ipſe reſpõdens, ait:* Vnus *ex duodecim qui intingit me-cum manum in catinũ, me proditurus eſt.* Et *filius qui-dem hominis vadit, ſicut ſcriptũ eſt de illo.* V*æ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Bonum *erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* R*eſpondens autẽ* Iudas *qui tradidit eum, dixit:* Nunquid *ego ſum* Rab-*bi?* Ait *illi:* Tu *dixiſti.* Erat *autem vnus ex diſcipulis* Ie-*ſu, recumbens in ſinu eius, nimirùm is quem diligebat* Ieſus. Huic *ergò innuit* Simon Petrus, *vt ſciſcitaretur, quis eſſet de quo loqueretur.* Itaque *cùm recubuiſſet il-le ſuper pectus* Ieſu, *dicit ei:* Domine, *quis eſt?* R*eſpon-dit* Ieſus: Ille *eſt, cui ego intinctum panem porrexero.* Et *cùm intinxiſſet panem, dedit* Iudæ Simonis Iſchari-*otæ.* Et *poſt buccellam ingreſſus eſt in eum* Satanas. Dicit *igitur* Ieſus: Quod *facis, fac citiùs.* Hoc *autẽ ne-mo intelligebat diſcumbentiũ, ad quid dixiſſet ei.* Qui-*dam enim putabant, quia loculos habebat* Iudas, *quòd dixiſſet ei* Ieſus: Eme *ea quæ opùs ſunt ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret.* Cùm *ergò accepiſſet ille buccellam, exiuit cõtinuò.* Erat *autem nox.* F*acta au-tem eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videre-tur eſſe maior.* Dixit *autem eis* Ieſus: Reges *gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eas, benefici vocantur.* Vos *autem nõ ſic: ſed qui maior eſt*

in vobis, fiat ſicut minor: & qui princeps eſt, ſicut miniſtrator. Nam *quis maior eſt? qui recumbit, an qui miniſtrat?* Nonnè *qui accumbit?* At *ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* Vos *autẽ eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Et *ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael* Nunc, inquit *clarificatus eſt filius hominis, &* Deus *glorificatus eſt per eum.* Si *Deus glorificatus eſt per eum, &* Deus *glorificabit eum per ſe, & continuò glorificabit eum.* Filioli, *adhuc pauliſpèr vobiſcum ſum: quæretis me, & ſicut dixi* Iudæis, *quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Ità *& vobis nunc dico:* Mandatum *nouũ do vobis, vt diligatis inuicèm, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicèm.* In *hoc cognoſcent oẽs, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter vos mutuam.* Dicit *ei* Simon Petrus: Domine, *quò vadis?* Reſpondit *ei* Ieſus: Quò *ego vado, non potes me nunc ſequi, ſequeris autem poſteà.* Dicit *ei* Petrus: Domine, *quarè non poſſum te ſequi modò? Animam meam pro te ponam.* Reſpondit *ei* Ieſus: *Animam tuam pro me pones?* Simon Simon, Eccè *Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ſed ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et *tu aliquandò conuerſus, confirma fratres tuos.* At *ille dixit:* Domine, *tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Reſpondit IESVS:

Amen amen dico tibi Petre, non canet hodiè gallus, priuſquàm ter abneges te nôſſe me. Et dixit eis: *Quãdò miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nũquid aliquid defuit vobis?* At illi dixerunt: *Nihil.* Dixit ergò eis: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram.* Et *qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Dico *enim vobis, quòd adhùc hoc quod ſcriptum eſt, oportet perfici in me,* Et *cum iniquis deputatus eſt.* Etenim *ea quæ ſunt de me, finem habent.* At *illi dixerunt:* Domine, *eccè duo gladij hîc.* At *ille dixit eis:* Satìs *eſt.* Et *dixit eis:* Non *turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Creditis *in* Deum, *& in me credite.* In *domo patris mei manſiones multæ ſunt, &c.* Surgite, *eamus hinc.* Et *hymno dicto, egreſſus* Ieſus *ibat, vt ſolitus erat, trans torrentem* Cedron *in montem* Oliuarum. *Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.* Tunc *venit cum illis in villam quæ dicitur* Gethſemani, *vbì erat hortus: in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius.* Nouerat *autem &* Iudas *proditor eum locum, quia frequenter* Ieſus *conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis.* Tunc *ait illis:* Sedete *hîc, donèc vadam & orem illic.* Et *aſſumpto* Petro, *&* Iacobo *&* Iohanne *duobus filijs* Zebedæi, *cœpit expaueſcere, dolere, & grauiter angi.* Et *dicit illis:* Triſtis *eſt anima mea vſq; ad mortem.* Manete *hîc, & vigilate mecum, orantes nè intretis in tentationem.* Et *progreſſus puſillùm ab eis ferm̀e ad iactum lapidis, poſitiſq; genibus, procidit*

infa-



in faciem ſuam, proſtratus in terram, & orauit, vt ſi poßibile eſſet, tranſiret ab eo hora, dicẽs : Abba pater *mi,* Omnia *poßibilia ſunt tibi : ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Veruntamen *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et *venit ad diſcipulos ſuos, & reperit eos dormientes, & dicit* Petro : *Simon, dormis? Adeò non potuiſti vna hora vigilare mecum? Quid dormitis? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma. Rurſusq; altera vice abijt & orauit, dicens :* Pater *mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Et *reuerſus, inuenit eos iterùm dormiẽtes. Erant enim oculi eorum grauati, neque ſciebant quid reſponderẽt.* Et *relictis illis, iterùm abijt, & orauit tertiò, eundem ſermonem dicens :* Pater, *ſi vis, transfer calicem hunc*

 à me.

à me. Veruntamẽ non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et correptus labore, prolixiùs orabat. Et erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, veniſſetq́; ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormiẽtes præ mœſtitudine. Et ait eis: Dormite iam & requieſcite. Quid dormitis? Sufficit. Eccè appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Eccè appropinquauit qui me tradet. Et continuò adhuc eo loquente, eccè Iudas vnus è duodecim, accepta cohorte & miniſtris à pontificibus & Phariſæis & ſenioribus & ſcribis, antecedens turbam multam, venit illuc cum laternis ac facibus, cum gladijs & fuſtibus & armis. Dederat autem hic proditor commune illis ſignum, dicẽs: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete illum; & abducite cautè. Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit ac dixit: Quem quæritis? Reſponderũt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui prodebat eum, cum ipſis. Vt ergò dixit eis, Ego ſum, abiêrunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Iterùm ergò interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quòd ego ſum. Si ergò me quæritis, ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo quem dixerat, Ex ijs quos dediſti mihi, non perdidi quenquam. Et appropinquauit Ieſu Iudas, vt oſcula-

oſcularetur eum. Confeſtimq; accedens, dixit: Aue Rabbi, ac deoſculatus eſt eum. Dixitq; illi Ieſus: Amice, ad quid aduenisti? Iuda, oſculo filium hominis prodis? Videntes autem hi qui circa Ieſum erant, quid futurũ eſſet, dixerunt ei: Domine, percutiemúsne gladio? Simon ergò Petrus cùm haberet gladium, eduxit eum, & percuſsit ſummi ſacerdotis ſeruũ, & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo, Malchus. Reſpondens autẽ Ieſus, ait: Sinite huc vſque. Et ait Petro: Immitte gladium tuum in vaginam. Oẽs enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quòd non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi nunc pluſquàm duodecim legiones Angelorum? An non vis vt bibam calicem quem dedit mihi pater? Quomodò ergò implebuntur ſcripturæ? quia ſic oportet fieri? Et cùm tetigiſſet auriculam ſerui, ſanauit eum. In illa autem hora dixit Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotũ & magiſtratus tẽpli & ſeniores: Tanquàm ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus cõprehendere me. Quotidiè apud vos ſedebã in templo docens, & nõ extendiſtis in me manus. Sed hæc eſt hora illa veſtra & poteſtas tenebrarũ, vt impleantur ſcripturæ. Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum. Cohors, inquit, & tribunus ac miniſtri Iudæorũ cõprehẽderũt Ieſum, & ligauerunt eũ. Tunc diſcipuli eius, relicto eo, oẽs fugerũt. Adoleſcens autẽ quidã ſequebatur illum, amictus ſin-

done ſuper nudum corpus. Et compræhenduntillum adoleſcentes. Ille autem, relicta ſindone, nudus effugit ab eis. Adduxerunt autem Ieſum ad Annam primùm: Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas is, qui conſilium dederat Iudæis, quòd expediret vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus à longè & alius diſcipulus, vſque ad atrium pontificis. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergò diſcipulus ille alter, qui erat notus pōtifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Ancilla ergò oſtiaria ad lumen intuita Petrum, defixis in illum oculis, dixit: Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? At ille negauit, dicens: Mulier, non ſum. Neſcio quid dicis. Pontifex ergò interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ipſius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audiêrunt. Eccè hi ſciunt quid dixerim eis. Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Siccinè reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: Sin benè, quid me cædis? Miſit autē eum Annas ligatum ad Caipham pontificem, vbi omnes ſacerdotes, ſcribæ, & ſeniores conuenerant.

Stabant

Stabant autem ſerui & miniſtri, qui prunas congeſſe- rant, in medio aulæ, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat *autem cum eis &* Petrus *ſtans, & calefaciēs ſe.* Itaque *vidit eum altera ancilla, & rursùm cœpit dicere his qui adſtabant:* Et *hic cum* Ieſu Nazareno *erat.* Dicunt *ergò ei: Num tu ex diſcipulis eius es?* Et *alius dixit: Tu de illis es.* Et *iterùm negauit eum iure- iurando, dicens:* Homo, *non ſum, non noui hominem.* Et *poſt puſillum, interuallo interiecto ferè horæ vni- us, alius quidam affirmabat cum his qui adſtabant, di- cens:* Verè *& tu ex illis es:* Nam *&* Galilæus *es, & loquela tua te manifeſtum facit.* Dicit *ei vnus ex ſer- uis pontificis, cognatus eius cuius abſciderat* Petrus *au- riculam:* Nonnè *ego te vidi in horto cū illo?* Tunc *cœ- pit execrari & deierare, quia non noui hominem iſtū quem dicitis.* Et *continuò adhuc illo loquente, gallus cantauit.* Et *conuerſus* Dominus, *intuitus eſt* Petrum. Et *recordatus eſt* Petrus *verbi* Domini Ieſu, *quod di- xerat ei:* Priuſquàm *gallus cecinerit bis, ter me nega- bis.* Et *egreſſus foràs, fleuit amarè.* Principes *autem ſacerdotum & ſeniores & totum concilium, quære- bant falſum teſtimonium contra* Ieſum, *vt morti eum traderent: & non inueniebant, etiam cùm multi falſi teſtes acceſsiſſent.* Non *erant enim ſatis idonea teſti- monia.* Nouiſsimè *autem venerunt duo falſi teſtes, & falſum teſtimonium ferebāt aduersùs illum, dicentes:* Nos *audiuimus eum dicentem:* Ego *poſſum diruere, &*

diruam templum hoc Dei,*quod eſt manibus factũ, & tribus diebus aliud ſine manibus factum ædificabo*. *Et ne ſic quidem ſatis idonea erant teſtimonia illorum.* Surgens (inquit) *ſummus ſacerdos in medium, interrogabat* Ieſum, *dicens*: Nihil *reſpondes ad ea, quæ illi aduersùm te teſtificantur?* Ieſus *autem tacebat, neque quicquam reſpondebat.* Rurſus *princeps ſacerdotũ interrogauit, & dicit illi*: Tu *es ille* Chriſtus *filius* Dei *benedicti?* Adiuro *te per* Deum *viuum, vt dicas nobis, an tu ſis* Chriſtus *filius* Dei Dicit *illi* Ieſus: Tu *dixiſti.* Ego *ſum.* Veruntamen *dico vobis*: Amodò *videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis* Dei, *& venientem in nubibus cæli.* Tunc *princeps ſacerdotum diſcidit veſtimenta ſua, dicens*: Blaſphemauit. Quid *inſupèr egemus teſtibus?* Eccè *nunc audiſtis blaſphemiam eius.* Quid *vobis videtur?* Illi *verò omnes condemnauerunt eum, dicentes*: Reus *eſt mortis.* Tunc *viri qui tenebant* Ieſum, *illudentes ei, expuerunt in faciẽ eius, & colaphis eum ceciderunt.* Alij *verò cùm obtexiſſent faciem eius, palmas in faciem eius dederunt, dicentes*: Vaticinare *nobis* Chriſte, *quis eſt ille qui te percuſſit?* Et *alia multa, conuiciãtes, dicebant in eum.* Manè *autem facto, conuenerunt omnes principes ſacerdotum, & ſcribæ, ſenioresq́; populi, ac totum cõcilium aduersùs* Ieſum, *vt eum morti traderent.* Et *duxerunt eum in concilium ſuum, dicentes*: Num *tu es ille* Chriſtus? *dic nobis.* Et *ait illis*: Si *vobis dixero, non credetis: quòd*

ſi etiam

ſi etiam interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerũt autem omnes: Tu ergò es filius DEI? Qui ait: Vos dicitis me eſſe. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus ex ore eius. Et ſurgens vniuerſa multitudo eorum, vinctum abduxit IESVM à Caipha in prætorium,



torium, tradiditq; Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Iudas qui eum tradiderat, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receßit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Suſpenſus autẽ crepuit medius, & diſperſa ſunt oĩa viſcera eius.

Prin-

Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanam, quia preciũ ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis argenteis mercede iniquitatis, agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ità vt appellaretur ager ille vernacula ipſorum lingua Akeldama, *hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per* Hieremiam *prophetam, dicentẽ: Et acceperunt triginta argenteos precium æſtimati, quem æſtimatum emerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Adducto igitur* I E S V *ad præſidem, ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt ederent Paſcha. Exiuit ergò Pilatus ad eos foràs, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, haudquaquàm tibi tradidiſſemus eum. Dicit ergò eis Pilatus: Accipite eum vos, et ſecundùm legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergò Iudæi: Nobis nõ licet interficere quenquam. Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixerat, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Cœperunt autem illum accuſare in multis, dicentes: Hunc deprehendimus ſubuertentem gentem noſtram, ac vetantem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Introiuit ergò iterùm in prætorium Pilatus: & vocans Ieſum, dixit:*

Tu

Tu es rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus, ſtans ante eum: *A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Reſpondit Pilatus: *Num ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti?* Reſpondit Ieſus: *Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiquè decertarent, nè traderer Iudæis. Nunc autem regnũ meum non eſt hinc.* Dixit itaque ei Pilatus: *Ergò rex es tu?* Reſpondit Ieſus: *Tu dicis, quòd rex ſim ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mũdũ, vt teſtimoniũ perhibeã veritati. oĩs qui eſt ex veritate, audit vocẽ meã.* Dicit ei Pilatus: *Quid eſt veritas?* Et cũ hoc dixiſſet, iterũ prodijt ad Iudæos, & dicit eis: *Ego nihil inuenio noxæ in hoc homine.* At illi inualeſcebãt, dicẽtes: *Cõmouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſq; ad hunc locũ.* Pilatus aũt audito nomine Galilææ, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quòd ad Herodis ditionem pertineret, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat per id tempus. Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valdè. Tenebatur enim multo iam tempore cupiditate videndi illum, eò quòd audiret multa de eo, & ſperabat ſe ſignum aliquod viſurum ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil ei reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum & ſcribæ acriter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo. Cumq; illuſiſſet indutum

veſte

veſte alba, remiſit ad Pilatum. Et *facti ſunt amici inter ſe* Herodes *&* Pilatus *eodem die: nam anteà ſimultates inter eos interceſſerant.* Pilatus *autem, conuocatis principibus ſacerdotum & magiſtratibus, ac plebe, dixit ad illos:* Obtuliſtis *mihi hũc hominẽ, quaſi auertentem populum, & eccè ego corã vobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine iſto ex his de quibus accuſatis eũ.* Sed *ne* Herodes *quidem.* Nam *remiſi vos ad illũ, & eccè nihil dignum morte actũ eſt ei.* Emendatum *ergò illum dimittam.* Ieſus *autem cùm accuſaretur à ſummis ſacerdotibus, nihil reſpõdit.* Dicit *ergò ei* Pilatus: Nõ *reſpondes quicquã?* Eccè *quàm multa aduersùm te dicant teſtimonia.* Et *non reſpondit ei ad vllum verbum, ità vt miraretur præſes vehementer.* In *die autem feſto neceſſè habebat & conſueuerat præſes turbæ dimittere vnum vinctũ quencunq; poſtulâſſent.* Habebat *autem tunc vinctum inſignem vnũ, nempe latronem, qui dicebatur* Barrabas, *qui cum ſeditionis authoribus miſſus fuerat in carcerem: qui & per ſeditionem quandam factam in ciuitate, fecerat homicidium.* Et *cùm acclamâſſet turba, cœpit flagitare vt faceret quemadmodùm ſemper fecerat ipſis.* Itaq; *congregatis illis dixit* Pilatus: Conſuetudo *eſt vobis, vt vnum dimittam vobis in* Paſcha. Vtrum *ergò vultis dimittam vobis?* Barrabam, *an* Ieſum *illum regem* Iudæorũ, *qui dicitur* Chriſtus? Sciebat *enim quòd propter inuidiã tradidiſſent illũ ſum-*

mi ſacerdotes. Principes aũt ſacerdotũ & ſeniores cõcitauerũt turbas, pſuadentes vt ſibi potius dimitti peterent Barrabã, Ieſum verò perderẽt. Reſpondens aũt præſes, ait illis: Vtrum vultis vobis è duobus dimittã? Et exclamauit ſimul vniuerſa turba, dicẽs: Tolle hũc, & dimitte nobis Barrabam. Iterùm autẽ locutus eſt ad eos Pilatus, volens dimittere Ieſum, & ait: Quid igitur vultis faciã Ieſu, quem dicitis regem Iudæorum? At illi rursùm clamauerunt omnes: Crucifige crucifige eum. Ille autẽ tertiò dixit ad eos: Quid enim mali fecit? Nullũ crimẽ capitale inuenio in eo. Caſtigatum ergò dimittã illum. At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Et inſtabant vocibus magnis poſtulantes vt crucifigeretur. Et inualeſcebant voces eorum.



Tunc ergò apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.

Milites

Milites autem abduxerunt eum intrò in atrium prætorÿ, & conuocant ad eum totā cohortem: exutumq́; induunt purpura ſiue clamyde coccinea: & plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius: dederuntq́; arundinem in dextram eius, & genu flexo ante eum, illudentes ei, cœperunt ſalutare, dicentes: Aue rex Iudæorum. *Et dabant ei alapas.* Et cùm *expuiſſent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius: & poſitis genibus, adorabant eum.* Exiuit *iterùm* Pilatus *foràs, & dicit eis:* Eccè *adduco eum vobis foràs, vt cognoſcatis quòd nullam cauſam in eo inuenio.* Exiuit *ergò* IESVS *foràs, geſtans ſpineam coronam & purpureum pallium.* Et *dicit eis* Pilatus: Eccè *homo.* Cùm *ergò vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant, dicentes:* Crucifige crucifige. Dicit *eis* Pilatus: Accipite *eum vos, & crucifigite.* Ego *enim non inuenio in eo cauſam.* Reſponderunt *ei* Iudæi: Nos *legem habemus, & ſecundùm legem noſtram debet mori, quia filium* Dei *ſe fecit.* Cùm *ergò audiſſet* Pilatus *hunc ſermonem, magìs timuit.* Et *ingreſſus eſt iterùm in prætorium, & dicit ad* Ieſum: Vndè es tu? Ieſus *autem reſponſum non dedit ei.* Dicit *ergò ei* Pilatus: Mihi *non loqueris?* Neſcis *quòd poteſtatem habeā crucifigendi te, & poteſtatem habeam abſoluendi te?* Reſpondit Ieſus: Non *haberes poteſtatem aduersùm me vllam, nisì tibi datum eſſet è ſupernis.* Propterea *qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Et *ex eo quærebat*

rebat Pilatus abſoluere eũm. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc abſolueris, non es amicus Cæſaris. Quiſquis enim ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cùm audiſſet hunc ſermonem, produxit foràs Ieſum: ſeditq́; pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſchæ, hora ferè ſexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex veſter. Illi aũt clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrũ crucifigam? Reſponderunt pontifices: Nõ habemus regem niſi Cæſarem. Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodiè in ſomnis propter eum. Tũc ergò Pilatus videns quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, volens turbæ ſatisfacere, adiudicauit vt fieret quod illi poſtulabant. Et accepta aqua, abluit manus coram populo, dicẽs: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Dimiſit ergò illis Barrabam, qui propter ſeditionem & homicidium coniectus fuerat in carcerem, quem poposcerant: Ieſum autem flagellatum & illuſum, tradidit arbitrio illorum, vt crucifigeretur. Accipientes autem Ieſum milites, exuerunt eum purpura, & induerunt eum veſtibus proprijs, & abduxerunt eum vt crucifigerent. Et baiulans ſibi crucem, exiuit. Exeuntes autem, inuenerunt quendam prætereuntem hominem



minem Cyrenæum, nomine Simeonem, venientem ex agro, patrem Alexandri & Ruſi. Hũc apprehendentes, coegerunt vt tolleret crucem eius. Et impoſuerunt illi crucem, vt portaret poſt Ieſum. Sequebatur autem multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas & ſuper filios veſtros. Quoniam eccè venient dies in quibus dicent, Beatæ ſteriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos: quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo facinoroſi cum Ieſu, vt interficerentur. Et perducunt eum in locum qui dicitur Hebraicè Golgatha, quod eſt, ſi in-

ſi interpreteris, Caluariæ locus. Et ibì dederunt ei acetum ſiue myrrhatum vinum, cum felle mixtũ, bibere. Et cùm guſtâſſet, noluit bibere. Et crucifixerunt eũ, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, & vnum à ſiniſtris, medium autem Ieſum. Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et cum iniquis deputatus eſt. Scripſit autem & titulum Pilatus, id eſt, inſcriptionem cauſæ illius, & poſuerunt ſuper crucem ad caput Ieſu. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergò titulum multi legerunt Iudæorũ, quia prope ciuitatem erat locus, vbì crucifixus eſt Ieſus: Et erat ſcriptum literis Hebraicis, Græcis & Latinis. Dicebant ergò Pilato pontifices Iudæorũ: Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quòd ille dixerit, Rex ſum Iudæorũ. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergò cùm crucifixiſſent Ieſum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerũt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, à ſummo cõtexta per totum. Dixerunt ergò inter ſe: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Sedentes autem, ſeruabant eum ibì. Et milites quidem hæc fecerunt. Et ſtabat populus ſpectans. Qui autẽ præteribant, conuicia iaciebãt in eum, mouentes capita ſua, & dicẽtes: Vah qui deſtruis templũ Dei, & in tribus diebus extruis illud. Serua temetipſum. Si filius Dei es, deſcẽde de cruce.

Similiter & ſummi ſacerdotes, illudentes inter ſeſe cum ſcribis & ſenioribus & populo, dicebāt: Alios ſer*uauit, ſeipſum ſeruare non poteſt.* Si hic eſt *ille Chriſtus rex* Iſrael, *ille* Dei *electus, ſeruet ſeipſum, deſcendatq́; nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Confidit in* Deo: *liberet eũ nunc, ſi vult.* Dixit *enim:* Filius Dei *ſum.* V*nus autem de his qui pendebant, latronibus, conuicia dicebat in* Ieſum, *dicens:* Si *tu es* Chriſtus, *teipſum ſerua & nos.* Reſpondens *autem alter, increpabat eum, dicens:* Ne *tu quidẽ times* Deum, *qui in eadem damnatione es?* Et *nos quidẽ iuſtè.* Nam *digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* Et *dicebat ad* Ieſum: Domine, *memento meî cùm veneris in regnum tuum.* Et *dixit illi* Ieſus: Amen *dico tibi, hodiè mecum eris in paradiſo.* Stabat *autẽ iuxta crucem* Ieſu *mater eius, & ſoror matris eius* Maria *vxor* Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm *vidiſſet ergò* Ieſus *matrem ſtantem, & diſcipulum quem diligebat, dicit matri ſuæ:* Mulier, *eccè filius tuus.* Deindè *dicit diſcipulo:* Eccè *mater tua.* Et *ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Cùm *verò facta eſſet ſexta hora, ab ea tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque in horam nonam* Et *circa horam nonam clamauit* Ieſus *voce magna, dicẽs:* Eli Eli, *lama azabthani, quod eſt, ſi quis interpretetur,* Deus *meus,* Deus *meus, cur dereliquiſti me?* Quidam *autem illic ſtantium dicebant:* Eccè Heliam *vocat iſte.* Poſteà *ſciens* Ieſus *quòd iam*

omnia

omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptu-ra, dixit: Sitio. *Vas ergò poſitum erat aceto plenum. Il-li autem ſpongiam aceto plenam hyſopo circumponen-tes, obtulerunt ori eius.* Et iterùm *clamauit voce ma-gna* Ieſus, *dicens:* Pater, *in manus tuas commendo ſpi-ritum meũ.* Et cùm *hoc dixiſſet, inclinato capite, tra-didit ſpiritũ.* Et eccè *velum templi ſciſſum eſt medium in duas partes, à ſummo vſq; ad imum: & terra mo-ta eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, & multa corpora ſanctorum qui dormiẽrant, ſurrexe-runt: & egreßi è monumentis poſt mortem eius, ve-nerunt in ſanctam ciuitatem, & apparũerunt mul-tis.* Centurio *autem qui ex aduersò ſtabat, & qui cum eo erant, cuſtodientes* Ieſum, *videntes quòd ſic emiſſo clamore expirâſſet, viſóq; terræ motu & his quæ fa-cta fuerant, timuerunt valdè, & glorificauerunt* De-*um, dicentes:* Verè *hic homo iuſtus erat & filius* Dei. Et *omnes turbæ eorum qui ſimul acceſſerãt ad ſpecta-culum iſtud, & viderant quæ contingebant, percuti-entes pectora ſua, reuertebantur. Stabant aũt omnes noti eius procùl, & mulieres quæ ſecutæ erant eum à* Galilæa, *hæc videntes: inter quas erat* Maria Magda-*lene, &* Maria Iacobi *minoris &* Ioſe *mater, &* Sa-*lome mater filiorum Zebedæi: quæ etiam, cùm eſſet in* Galilæa, *ſecutæ fuerant illum, & miniſtrauerant ei, aliæq; cõplures, quæ ſimul aſſcenderant à* Galilæa *cum eo* Hieruſalem. *Iudæi ergò, quoniam paraſceue erat, vt*

non remanerent in cruce corpora ſabbato,(erat enim magnus ille dies ſabbati) rogauerũt Pilatum, *vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Venerunt *ergò milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.* Ad Ieſum *autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit ſanguis & aqua.* Et *qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* Et *ille ſcit quòd vera dicit, vt & vos credatis.* Facta *ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur:* Os *non comminuetis ex eo.* Et *rurſùs alia ſcriptura dicit:* Videbunt *in quem pupugerunt.* Poſt *hæc autem cùm veſpera eſſet, quoniam erat paraſceue quæ præcedit ſabbatum, venit* Ioſeph Arimathienſis *vir diues, ſenator bonus & iuſtus, qui non conſenſerat conſilio & factis eorum.* Erat *enim & ipſe expectans regnum* Dei. Nam *& diſcipulus erat* Ieſu, *occultus tamen propter metũ* Iudæorum. Hic *ſumpta fidutia, ingreſſus eſt ad* Pilatum, *& petijt ab eo, vt telleret corpus* Ieſu. Pilatus *autem admiratus eſt ſi iam mortuus eſſet.* Et *accerſito ad ſe* Centurione, *interrogauit illum an iam mortuus eſſet.* Et *re cognita ex* Centurione, *donauit corpus* Ieſu *ipſi* Ioſeph. Et Ioſeph *mercatus eſt ſindonẽ.* Venit *aũt &* Nicodemus, *qui venerat primũ ad* Ieſum *nocte, ferẽs mixturam myrrhæ & aloes ad libras fermè centum.* Acceperunt *autem corpus* Ieſu *depoſitum, & inuolue-*

runt



runt illud in ſindone munda, & inuoluerunt linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat *autem in eo loco, vbì crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum* Ioſeph *nouum, quod ipſe ſibi exciderat in petra, in quo nondùm quiſquam poſitus fuerat.* Ibì *ergò, quia paraſceue erat* Iudæòrum, *& ſabbatum illuceſcebat, quòd in propinquo eſſet monumentum, poſuerunt* IESVM. Et *aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti, abiêrunt.* Erat *autem ibì* Maria Magdalene, *&* Maria *Ioſè, ſedentes contra ſepulcrum, ſpectantes vbì poneretur.* Et *reuerſæ, parauerunt aromata & vnguenta ac ſabbato quidem quieuerunt ſecundùm præceptum.* Poſtera *autem die, quæ eſt poſt paraſceuen, conuenerunt* Principes *ſacerdotum &* Phariſæi *ad* Pilatum, *dicentes:* Domine, *recordati*

ſumus quòd impoſtor ille dixit adhuc viuens: Poſt *tres dies reſurgam. Iube ergò muniri ſepulcrum vſque in diem tertium, nè quandò veniant diſcipuli eius, & furentur eum, dicantq́; plebi:* Surrexit *à mortuis, & erit nouiſsimus error peior priore. Ait illis* Pilatus: Habetis *cuſtodiam.* Ite, *munite ſicut ſcitis.* Illi *autem*



abeuntes, muniêrunt ſepulcrum obſignato lapide, adhibitiſq́; cuſtodibus.

COLLECTA.

DEus, à quo & Iudas reatûs ſui pœnam, & cōfeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit: concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt ſicut in paſſione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diuerſa vtriſque intulit ſtipendia meritorum: ità nobis ablato vetuſtatis errore, reſurre-

ſurrectionis ſuę gratiam largiatur. Qui tecum viuit & regnat &c.

IN FERIIS PASCHALIBVS.

AD MATVTINAS HYMNVS.

Avrora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat,
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus vlulat:
Cùm rex ille fortiſsimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara,
Soluit à pœna miſeros.
Ille qui clauſus lapide
Cuſtoditur ſub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor ſurgit de funere.
Solutis iam gemitibus,
Et inferni doloribus,
Quia ſurrexit Dominus,
Reſplendens clamat Angelus.
Triſtes erant Apoſtoli
De nece ſui Domini,
Quem pœna mortis crudeli

Serui damnârant impij.
Sermone blando Angelus
Prædixit mulieribus,
In Galilæa Dominus
Videndus eſt quantocyùs.
Illæ dum pergunt conciiæ
Apoſtolis hoc dicere,
Videntes eum viuere,
Oſculantur pedes Domini.
Quo agnito, diſcipuli
In Galilæam properè
Pergunt, videre faciem
Deſideratam Domini.
Claro Paſchali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cùm Chriſtum iam Apoſtoli
Viſu cernunt corporeó.
Oſtenſa ſibi vulnera
In Chriſti carne fulgida,
Reſurrexiſſe Dominum
Voce fatentur publica.
Rex Chriſte clementiſſime,
Tu corda noſtra poſside,
Vt tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
Gloria tibi Domine,
Qui ſurrexiſti à mortuis,

Cum

Cum patre & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula.

IN ADSPERSIONE AQVAE

RESPONSOR.

VIdi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia: & omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent Alleluia alleluia. Pſal. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Verſ. In reſurrectione tua Chriſte, Alleluia: cælum & terra lætentur, Alleluia. Ezec.47. Pſal.105. 106.117.

COLLECTA.

COncede, quęſumus omnipotens Deus, vt qui feſta Paſchalia agimus, cæleſtibus deſiderijs accenſi, fontem vitæ ſitiamus, Chriſtum Dominum noſtrum.

ANTIPH.

IN die reſurrectionis meæ, dicit Dominus, Alleluia: congregabo gentes, & colligam regna, & effundam ſuper vos aquã mundam, Alleluia. Ezec.36.

IN PROCESSIONE

ANTIPH.

CVm rex gloriæ Chriſtus infernum debellaturus intraret, & chorus Angelicus ante faciem eius portas principum tolli præciperet: ſanctorum populus qui tenebátur in morte captiuus, voce lachrymabili clamauerat:

rat: Aduenisti deſiderabilis, quem expectabamus in tenebris, vt educeres hac nocte vinculatos de clauſtris: te noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta, tu factus es ſpes deſperatis, magna conſolatio in tormentis, Alleluia.

HYMNVS.

Salue feſta dies, toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Eccè renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediſſe ſuo. Salue fe.
Nanquè triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto,
Vndiquè fronde nemus, gramina flore fauēt. Qua
Legibus inferni oppreßis, ſuper aſtra meantem
Laudant ritè Deū, lux, polus, arua, fretū. Salue.
Qui crucifixus erat Deus, eccè per omnia regnat:
Dantq; creatori cuncta creata precem. Qua.
Nobilitas anni, menſum decus atq; dierum,
Horarū ſplendor, ſcrupula, puncta fauent. Salue.
Chriſte ſalus rerum, bone conditor, atque redemptor,
Vnica progenies ex Deitate patris. Qua Deus.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 138. Reſurrexi, & adhuc tecum ſum, Alleluia: poſuiſti ſuper me manū tuam, Alleluia, mirabilis facta eſt ſcientia tua, Alleluia. Pſal. Domine, probâſti me & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.

COLLECTA.

DEus, qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum reſerâſti, vota noſtra quæ preueniendo adſpiras, etiam adiuuando proſequere. Per &c.

EPISTOLA I. CORIN. V.

FRatres: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, nõ in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

GRADVALE.

HÆc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Verſ. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Alleluia. Verſ. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Verſ. Epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis. Pſal. 117. 1. Cor. 5.

SEQVENTIA.

VIctimæ paſchali laudes immolent Chriſtiani: Agnus redemit oues, Chriſtus innocens patri reconciliauit peccatores.

Mors & vita duello conflixêre mirãdo: dux vitæ mortuus regnat viuus. Dic nobis Maria, quid vidiſti in via? ſepulcrum Chriſti viuentis, & gloriam vidi reſurgentis:

Angelicos teſtes, ſudarium & veſtes: ſurrexit Chriſtus ſpes mea, præcedet ſuos in Galilæã.

Cre-

Credendum eſt magìs ſoli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci.

Scimus Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis verè, tu nobis victor rex miſerere, Alleluia.

ALIA SEQVENTIA.

LAudes Saluatori voce modulemur ſupplici, Et deuotis melodijs cæleſti Domino iubilemus Meſſiæ. Qui ſeipſum exinaniuit, vt nos perditos liberaret homines: Carne gloriam Deitatis occulens, pannis tegitur in præſepi, miſerans præcepti tranſgreſſorem, pulſum patria paradiſi nudulum. Ioſeph, MARIÆ, Simeoni ſubditur, circunciditur, & legali hoſtia mundatur vt peccator, noſtra qui ſolet relaxare crimina. Serui ſubijt manus baptizandus, ac perfert fraudes tentatoris, fugit perſequentum lapides. Famem patitur, dormit & triſtatur, ac lauat diſcipulis pedes Deus homo ſummè humilis. Sed tamen inter hæc abiecta corporis eius, Deitas nequaquàm quiuit latére, ſignis varijs & doctrinis prodita. Aquam nuptijs dat ſaporis vineì: cęcos oculos claro lumine veſtiuit; lepram luridam tactu fugat placido. Putres ſuſcitat mortuos, membraque curat debilia. Fluxum ſanguinis conſtrinxit, & ſaturauit quinque de panibus quina millia: Stagnum peragrat fluctuans ceu ſiccum littus: vētos ſedat, linguam reſerat conſtrictam, recluſit aures priuatas, vocibus febres depulit. Poſt hæc mira mira-

culā,

cula, taliaq́ue, ſponte ſua comprehenditur & damnatur. Et ſe crucifigi non deſpexit: Sed ſol eius mortem non adſpexit. Illuxit dies quam fecit Dominus: Mortem deuaſtans & victor, ſuis apparens dilectoribus viuus, Primò Mariæ, dehinc Apoſtolis: Docens ſcripturas, cor aperiens, vt clauſa de ipſo reſerarent. Fauent igitur reſurgenti Chriſto cuncta gaudijs. Flores, ſegetes, rediuiuo fructu vernant: & volucres, gelu triſti terſo, dulce iubilant. Lucent clarius ſol & luna, morte Chriſti turbida. Tellus herbida reſurgenti plaudit Chriſto, quæ tremula eius morte, ſe caſuram minitat. Ergò die iſta exultemus, qua nobis viam vitæ reſurgens patefecit Ieſus. Aſtra, ſolum, mare, iocundentur, & cuncti gratulentur in cælis ſpiritales chori Trinitati, Amen.

EVANGELIVM S. MARC. XVI.

IN *illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent* IESVM. *Et valdè manè vna ſabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole. Et dicebant ad inuicèm: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus valdè. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Nazarenum*



crucifixum: ſurrexit, non eſt hìc: eccè locus vbì poſu- erunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibì eum videbitis, ſicut dixit vobis.

OFFERTORIVM.

Pſal. 75. TErra tremuit & quieuit, dum reſurgeret in iudicio Deus, Alleluia.

COMMVNIO.

1. Cor. 5. PAſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, Alleluia: itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis, Alleluia, alle. all.

IN VESPERIS

HYMNVS.

AD cœnam agni prouidi,
Et ſtolis albis candidi,

Poſt

Poſt tranſitum maris rubri,
Christo canamus principi.
Cuius corpus ſanctiſsimum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roſeo
Guſtando, viuimus Deo.
Protecti Paſchæ veſpere
A deuaſtante Angelo,
Erepti de duriſsimo
Pharaonis imperio.
Iam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt,
Qui immolatus agnus eſt,
Sinceritatis azyma,
Caro eius oblata eſt.
O verè digna hoſtia,
Per quam fracta ſunt tartara,
Redempta plebs captiuata,
Reddita vitæ præmia.
Conſurgit Chriſtus tumulo,
Victor redit de baratro,
Tyrannum tradens vinculo,
Et reſerans paradiſum.
Quæſumus author omnium,
In hoc Paſchali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum. Amen.

COLLECTA.

M Deus,

DEus, qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditũ reſerâſti, vota noſtra quæ pręueniendo adſpiras, etiam adiuuando proſequere. Per &c.

AD COMPLETORIVM HYMNVS.

IESV ſaluator ſeculi,
Verbum patris altiſſimi,
Lux lucis inuiſibilis,
Cuſtos tuorum peruigil:
Tu fabricator omnium,
Diſcretor atque temporum,
Feſſa labore corpora
Noctis quiete recrea.
Te deprecamur ſupplices,
Vt nos ab hoſte liberes,
Nè valeat ſeducere
Tuo redemptos ſanguine.
Vt dum graui in corpore
Breui manemus tempore,
Sic caro noſtra dormiat,
Vt mens ſoporem neſciat.

A feſto Paſchæ vſque ad octauam Pentecoſt.
Poſt Completorium Antiph.

REgina cæli, lætare, Alleluia. Quia quem meruiſti portare, Alleluia: reſurrexit, ſicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia. Verſ. Gaude Dei genitrix virgo Maria, alleluia: Quia ſurrexit filius tuus, alleluia.

Ore-

Oremus.

PRoſit nobis, quæſumus omnipotens pater, & præcipuè inter hæc feſta Paſchalia filij tui ſolennia, continuata Dei genitricis & virginis Mariæ memoria: quæ & aſtitit vulnerata charitate in cruce pendenti, & nunc regina adſtat à dextris in cælo regnanti, Eidem filio tuo IESV Chriſto Dño noſtro. Amen. Iohã.19.

Nos cum prole pia, benedicat virgo Maria.

FERIA II. PASCHAE.

INTROITVS MISSAE.

INtroduxit vos Dominus in terram fluentẽ lac & mel, Alleluia: & vt lex Domini ſemper ſit in ore veſtro, Alleluia, alleluia. Pſal. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Pſal. 105. 106. 117.

COLLECTA.

DEus, qui ſolennitate Paſchali mundo remedia contuliſti, populum tuum quæſumus cæleſti dono proſequere, vt & perfectam libertatem conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam.

EPISTOLA ACT. X.

IN diebus illis: Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos ſcitis quòd factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa poſt Baptiſmum, quod prædicauit Iohannes, IESVM *à Nazareth, quomodò vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiuit benè faciendo, & ſa-*

nando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Hieruſalem: quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquàm reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

GRADVALE.

Hæc dies quam fecit &c. Vt pag. 173. Verſ.
Matt. 28. Angelus Dñi deſcendit de cælo, & accedens, reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Verſ. Reſpondens autẽ Angelus, dixit mulieribus: Quæm quæritis? Illæ autem dixerunt, Ieſum
Luc. 24. Nazarenum. Alleluia. Verſ. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis de IESV, dum loqueretur in via? Alleluia.

SEQVENTIA.

AGni paſchalis eſu potuq; dignas, moribus ſinceras præbeant ſe omnes Chriſtianæ animæ: Pro quibus ſe Deo hoſtiam obtulit ipſe ſummus pontifex: Quarum frons in poſtis eſt modum eius illita ſacroſancto cruore, & tuta à clade Canopica: Quarum crudeles hoſtes in mari rubro ſunt obruti. Renes

con-

conſtringant ad pudicitiam, Pedes tutentur aduersùs viperas, Baculoſque ſpiritales contra canes iugiter manu baiulent, Vt Paſcha IESV mereantur ſequi, quo de baratro victor redijt. En rediuiuus mundus ornatibus Chriſto conſurgens, fideles admonet, Poſt mortem meliùs cum eo victuros.

EVANGELIVM LVCAE XXIIII.



IN *illo tempore: Duo ex diſcipulis* IESV *ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab* Hieruſalem, *nomine* Emaus, *& ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum fabularẽtur, & ſecum quærerẽt, & ipſe* Ieſus *appropinquans, ibat cum illis? Oculi aũt illorum tenebantur, nè eum agnoſcerent. Et ait ad illos:*

beret cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad inuicèm: Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora, regreſſi ſunt in Hieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: Quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant, quæ geſta erant in via, & quomodò cognouerũt eum in fractione panis.

OFFERTORIVM.

ANgelus Domini deſcendit de cælo, & dixit mulieribus: Quem quæritis, ſurrexit, ſicut dixit, Alleluia. Matt.28.

COMMVNIO.

Surrexit Dñs, & apparuit Petro. Alleluia. Luc.24.

FERIA III. PASCHAE.

INTROITVS MISSAE.

AQua ſapientiæ potauit eos, Alleluia: firmabitur in illis, & nõ flectetur, Alleluia, & exaltabit eos in æternum, Alleluia, alleluia. Pſal. Confitemini Domino, & inuocate nomẽ eius, annunciate inter gentes opera eius. Eccli.15. Pſal.104.

COLLECTA.

DEus, qui Eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, vt ſacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per. &c.

LECTIO ACT. APOST. XIII.

IN *diebus illis: Surgens* Paulus, *& manu ſilentium indicens, ait:* Viri *fratres, filij generis* Abraham, *& qui in vobis timent* Deum, *vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt. Qui enim habitāt* Hieruſalem, *& principes eius ignorantes* Ieſum, *& voces propheta-rum, quæ per omne ſabbatum leguntur, iudicātes impleuerunt.* Et *nullam cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à* Pilato, *vt interficeret eum. Cumq́; conſummâſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt in monumento.* De-*us verò ſuſcitauit eum à mortuis tertia die: qui viſus eſt per dies multos his, qui ſimul aſſcenderant cum eo de* Galilæa *in* Hieruſalem, *qui vſque nunc ſunt teſtes reſurrectionis eius ad plebem: & nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſsio facta eſt, quoniam hanc* Deus *adimpleuit filijs veſtris, reſuſcitans* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum.*

GRADVALE.

Hæc dies quam fecit &c. Vt ſupr. pag. 173.

Pſal. 117. Verſ. Dicant nunc qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos. Alleluia. Verſ.

Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.

SEQVENTIA.

Lau-

LAudes CHRISTO redempti voce modulemur ſupplici. Omis in hac die rerum natura iubilans, Perſonet immenſas filio Dei gratias. Iam noſtri conciues cæleſtis ſanctuarij milites, Ordines noueni in veſtra nos adunate gaudia. Hymnite nunc ſuperi, pariter reſonate inferi: Et omis in Domino ſpiritus gratuletur æneſi. Qui hominis cauſa DEVS homo naſcitur, & fragili carne ſe Deitas occulens, probra ſuſtinuit patiens. Virtutibus, ſignis, vt DEVS, emicuit, & corporis noſtri neceſſitate fruens, verus terrigena claruit. Ab hoſte temptatus non eſt agnitus, neque Diuinitas patuit. Ars artem deluſit, donèc veteris nodum piaculi ſecuit. In ara crucis hoſtiam pro nobis Chriſtus obtulit Deo Patri, morte ſua noſtra mortificans crimina. Iam victor CHRISTVS, baratro populato, mortis principe vinculato, ab inferis pompa regreditur nobili. Hęc eſt dies quæ illuxit poſt turbida regni Aethiopum tempora: CHRISTVS in qua reſurrexit, vltrà victurus cum carne quam aſſumpſit de Maria virgine. Qui ouem cum gaudio patri, quam perdiderat, humero reuexit.

EVANGELIVM LVCAE XXIIII.

IN illo tempore: Stetit IESVS *in medio eorū, & dixit eis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitatio-*



nes aſſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Et cùm *hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit:* Habetis *hìc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſsi, & fauum mellis.* Et *cùm manducâſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis, & dixit ad eos:* Hæc *ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſè eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege* Moiſi, & Prophetis, & Pſalmis, *de me. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, &*

præ

prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionẽ peccatorum in omnes gentes.

OFFERTORIVM.

INtonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam: & apparuerunt fontes aquarum, Alleluia. Pſal. 17.

COMMVNIO.

SI conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt, quærite, Alleluia. Vbì Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſursùm ſunt, ſapite, Alleluia. Coloſ. 4.

FERIA IIII.

INTROITVS MISSAE.

VEnite benedicti patris mei, percipite regnum, Alleluia, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, Alleluia, alleluia, alleluia. Matt. 25.
Pſal. Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Pſal. 95.

COLLECTA.

DEus, qui nos reſurrectionis Dominicæ annua ſolennitate lætificas, concede propitius, vt per temporalia feſta quæ agimus, peruenire ad gaudia ęterna mereamur. Per &c.

LECTIO ACTVVM APOST. III.

I*N diebus illis: Apiens Petrus os ſuũ, dixit: Viri Iraelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negâſtis ante faciem Pilati, iudicante illo,*

di

dimitti. Vos autem ſanctum & iuſtum negâſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus: & in fide nominis eius hunc, quem vos videtis & nôſtis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omniũ veſtrûm. Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Deus autem, qui prænunciauit per os omnium ſuorum Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.

GRADVALE.

Hæc dies quam fecit &c. Vt ſupr. pag 173.

Pſal. 117. Verſ. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Alleluia. In die reſurrectionis meæ, dicit Dominus, pręcedam vos in Galilæam. SEQVENTIA. Victimæ Paſchali laudes &c. pag 173.

EVANGELIVM IOHAN. XXI.

IN *illo tempore:* Manifeſtauit *ſe iterùm* IESVS *diſcipulis ſuis ad mare* Tiberiadis. Manifeſtauit *autem ſic:* Erant *ſimul* Simon Petrus *&* Thomas, *qui dicitur* Didymus, *&* Nathanael, *qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex* Diſcipulis *eius duo.* Dicit *eis* Simon Petrus: *Vado piſcari.* Dicunt *ei:* Venimus *& nos tecum.* Et *exierunt, & aſcenderunt in*

na-



nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autē *iam facto, ſtetit* Ieſus *in littore, non tamen cognoue-runt diſcipuli, quia* Ieſus *eſt.* Dicit ergò eis Ieſus: Pueri, *nunquid pulmentarium habetis?* Reſponderūt ei: Non. Dicit eis: Mittite *in dextram nauigij rete, & inuenie-tis.* Miſerunt *ergò, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Dixit ergò *diſcipulus ille, quem diligebat* Ieſus, Petro: Dominus *eſt.* Simon Pe-*trus cùm audiſſet quia* Dominus *eſt, tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus, & miſit ſe in mare.* Alij *autem diſcipuli nauigio venerunt.* Non *enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis trahentes rete piſciū.* Vt *ergò deſcenderunt in terram, viderunt prunas po-ſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.* Dicit eis IESVS: *Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc.*

Aſſcen-

Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis I E-S V S: *Venite, prandete. Et nemo diſcumbentiū audebat interrogare eum: Tu quis es? ſcientes, quia* Dominus eſt. *Et venit* I E S V S, *& accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt* I E S V S *diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 77. Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna vt ederēt: panē cæli dedit eis, panē Angelorū māducauit homo, Allel. COMM.

Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, Alleluia: mors illi vltrà non dominabitur, Alleluia, alleluia.

DOMINICA I.
POST PASCHA, QVAE ET IN ALBIS DICTA.

Ad primas Veſp. Hymn. Ad cœnam agni. pag. 176.

Collect. Deus, q nos reſurrectiōis &c. pag. 187.

AD MATVTINVM HYMNVS.

Rex ſempiterne Domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras ante ſecula,
Semper cum patre filius:
Qui mundi in primordio
Adam plaſmâſti hominem:
Cui tuæ imagini

Vul.

Vultum dediſti ſimilem.
Quem Diabolus deceperat
Hoſtis humani generis:
Cuius tu formam corporis
Aſſumere dignatus es:
Vt hominem redimeres
Quem anteà plaſmaueras:
Et nos Deo coniungeres
Per carnis contubernium.
Quem editum ex virgine
Paueſcit omnis anima:
Per quem & nos reſurgere
Deuota mente credimus.
Qui nobis per baptiſmum
Donáſti indulgentiam,
Qui tenebamur vinculis
Ligati conſcientiæ.
Qui crucem propter hominem
Suſcipere dignatus es:
Dediſti tuum ſanguinem
Noſtræ ſalutis precium.
Quæſumus author omnium
In hoc Paſchali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine &c.

INTROITVS MISSAE.

Qua-

1. Pet.2. QVaſi modò geniti infantes, Alleluia: rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, Pſal.80. Alleluia, allel. allel. Pſal. Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob.

COLLECTA.

PReſta, quæſumus omnipotens Deus, vt qui Paſchalia feſta peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus. Per &c.

EPISTOLA I. IOHAN. V.

CHariſſimi: Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis autem eſt, qui vincit mūdum, niſi qui credit quoniam IESVS *eſt filius Dei? Hic eſt enim qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam ſpiritus eſt veritas. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritusſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres vnum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus: teſtimonium Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, quia teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.*

GRADVALE.

Pſal.148. Allel. Verſ. Laudate Deum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Allel. Verſ. Surrexit Chriſtus ex mortuis, ſicut ipſe

yo-

voluit: & apparuit diſcipulis ſuis & Petro, liberator noſter Dominus.

SEQVENTIA.

Victimæ Paſchali &c. Vt ſup. pag. 173.

EVANGELIVM IOH. XX.



IN illo tempore: Cùm ſerò eſſet die illo vno ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit IESVS, *& ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergò diſcipuli, viſo* Domino. *Dixit ergò eis iterùm: Pax vobis. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta ſunt.*

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quandò venit IESVS. *Dixerunt ergò ei alij diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterùm erant diſcipuli eius intùs, & Thomas cum eis. Venit* IESVS *ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis : Pax vobis. Deindè dixit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei : Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei* IESVS *: Quia vidiſti me Thomas, credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit* IESVS *in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia* IESVS *eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

OFFERTORIVM.

Matt.28. ANgelus Domini deſcendit de cælo, & dixit mulieribus : Quem quæritis? ſurrexit ſicut dixit, Alleluia.

COMMVNIO.

Ioh.2.20. MItte manum tuam, & cognoſce loca clauorũ, Alleluia : & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, Alleluia, allel.

IN SECVNDIS VESPERIS HYMNVS.

IESV *noſtra redemptio,*
Amor & deſiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum:
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres noſtra crimina?
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?
Inferni clauſtra penetrans,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili
Ad dextram patris reſidens.
Ipſa te cogat pietas,
Vt mala noſtra ſuperes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu ſaties.
Gloria tibi Domine,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſecula.

Nota, iſte Hymnus in ſecundis Veſperis Dominicis diebus legitur vſque ad Aſſcenſionis diem.

DOMINICA II. POST PASCHA.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 32. MIſericordia Domini plena eſt terra, Alleluia. Verbo Dei cæli firmati ſunt, Allel. allel. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

COLLECTA.

DEus, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexiſti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam, vt quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudijs facias ſempiternis perfrui. Per &c.

EPISTOLA I. PET. II.

CHariſsimi: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, nõ maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum.

Pſal. 116. Alleluia. Laudate Dñm omnes gentes, & collaudate eum omñes populi, Allel. Surrexit paIohã. 10. ſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, & pro ſuo grege mori dignatus eſt.

EVAN-

EVANGELIVM IOHAN. X.



IN *illo tempore : Dixit* IESVS *diſcipulis ſuis: Ego ſum paſtor bonus: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Mercenarius *autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & diſpergit oues.* Mercenarius *autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.* Ego *ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.* Et *alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 62. Domine Deus meus, ad te de luce vigilo, & in nomine tuo leuabo manus meas, Alleluia.

COMMVNIO.

Iohã. 10. EGo ſum paſtor bonus, Alleluia: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, Alleluia, alleluia.

DOMINICA III. POST PASCHA.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 65. IVbilate Deo omnis terra, Allel. pſalmum dicite nomini eius, alleluia: date laudi gloriam eius, alleluia, alleluia, alleluia. Pſalm. Dicite Deo, quoniam terribilia ſunt opera tua Domine in multitudine virtutis tuæ.

COLLECTA.

DEus, qui errantibus, vt in viam poſſint redire iuſtitiæ, veritatis tuę lumen oſtendis: da cunctis qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari. Per &c.

EPISTOLA I. PET. II.

CHariſſimi: Obſecro vos tanquàm aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduersùs animam, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum

in die viſitationis. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*: ſiue regi, quaſi præcellenti: ſiue ducibus, tanquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas* Dei*, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui* Dei*. Omnes honorate.* Fraternitatem *diligite.* Deum *timete.* Regem *honorificate. Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Hæc *eſt enim gratia* Dei *in Chriſto* IESV Domino *noſtro.*

GRADVALE.

Alleluia. Verſ. Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia, Alleluia. Surrexit altiſſimus de ſepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Pſal. 99.

EVANGELIVM IOHAN. XVI.

IN *illo tempore:* Dixit IESVS *diſcipulis ſuis:* Modi *cum, & iam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem.* Dixe*runt ergò ex diſcipulis eius ad inuicèm: Quid eſt hoc quod dicit nobis,* Modicū, *& non videbitis me, & iterùm modicum, & videbitis me, & quia vado ad patrem?* Dicebant *ergò: Quid eſt hoc quod dicit, modicū? neſcimus quid loquitur. Cognouit autem Ieſus quia*



volebant eum interrogare, & dixit eis : De *hoc quæritis inter vos: quia dixi,* Modicum, *& non videbitis me: & iterùm modicũ, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiã habet, quia venit hora eius. Cùm aũt pepererit puerũ, iam nõ meminit preſſuræ propter gaudiũ, quia natus eſt homo in mundũ. Et vos igitur nunc quidem triſtitiã habetis. Iterum aũt videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis.*

OFFERTORIVM.

Pſal.145. LAuda anima mea Dominũ, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quàm diù fuero, Allel.

COM-

COMMVNIO.

MOdicum, & non videbitis me, Allel. & iterùm modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem meum, Allel. allel. Iohã.16.

DOMINICA IIII.

POST PASCHA.

INTROITVS MISSAE.

CAntate Domino canticum nouum, Allel. quia mirabilia fecit Dominus, allel. ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, All. all. Pſal. Saluauit ſibi dextra eius, & brachium ſanctum eius. Pſal.97.

COLLECTA.

DEus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis, vt inter mundanas varietates ibì noſtra fixa ſint corda, vbì vera ſunt gaudia. Per &c.

EPISTOLA IAC. I.

CHariſſimi: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſursùm eſt, deſcendens à patre luminum, apud quē non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius: ſcitis fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autē ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur. Propter quod abijcientes omnē im-

munditiam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras.
Pſal. 96. Alleluia. Verſ. Dn̄s regnauit, exultet terra; læ-
Luc. 24. tentur inſulę multę. Alleluia. Surrexit Dn̄s verè, & apparuit Petro. SEQVENTIA.
Victimæ Paſchali &c. vt ſup. pag. 173.

EVANGELIVM IOH. XVI.



IN illo tempore: Dixit IESVS diſcipulis ſuis: *Vado ad eum qui me miſit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadā: ſi enim non abiêro, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiêro, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum*

*dum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio: de pecca-
to quidem, quia non crediderunt in me: de iuſtitia ve-
rò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me:
de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iu-
dicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed nõ
poteſtis portare modò. Cùm autẽ venerit ille ſpiritus
veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim
loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur:
& quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me cla-
rificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

OFFERTORIVM.

IVbilate Deo vniuerſa terra, iubilate Deo vniuerſa terra, pſalmũ dicite nomini eius: venite & audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ, Alleluia. Pſal. 65.

COMMVNIO.

CVm venerit paracletus ſpiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, Alleluia, allel. Iohã. 16.

DOMINICA V. POST PASCHA.

INTROITVS MISSAE.

VOcem iucunditatis annunciate vſque ad extremũ terræ, liberauit Dñs populũ ſuũ, Allel. all. Pſal. Iubilate Deo omnis terra, pſalmũ dicite nomini eius, date gloriã laudi eius. Pſal. 65.

COL-

COLLECTA.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, vt cogitemus te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus. Per &c.

EPISTOLA IAC. I.

CHariſsimi: Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos: quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abijt: & ſtatìm oblitus eſt, qualis fuerit. Qui autem proſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

Alleluia. Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnem terram. Alleluia. Surrexit altiſſimus de ſepulcro, qui pro nobis pependit in ligno.

EVANGELIVM IOHAN. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quicquam*



in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prou:rbijs locutus ſum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palàm de patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis: ipſe enim pater amat vos, quia vos me amâſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei diſcipuli eius: Eccè nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opùs eſt tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti.

OFFERTORIVM.

Bene-

Pſal.65. BEnedicite gentes Dominum Deum noſtrum, & obedite voci laudis eius, qui poſuit animam meã ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos: Benedictus Dominus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

COMMVNIO.

Pſal.95. CAntate Domino Alleluia, cantate Domino & benedicite nomen eius, benè nunciate de die in diem ſalutare eius, Allel. allel.

IN FESTO ASSCENSIONIS.

IN PRIMIS VESPERIS, HYMNVS.

FEſtum nunc celebre, magnaq; gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cùm Chriſtus ſolium ſcandit ad arduum
Cælorum pius arbiter.
Conſcendit iubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinit pariter Angelicus chorus
Victoris boni gloriam.
Qui ſcandens ſuperos, vincula vinxerat:
Donans terrigenis munera plurima,
Diſtrictus rediens arbiter omnium,
Qui mitis modò tranſijt.

Ora

Oramus Dominè conditor inclyte,
Deuotos famulos reſpice, & protege,
Nè nos liuor edax dæmonis obruat,
Demergat vel in inferos.
Vt cùm flammiuoma nube reuerteris,
Occulta hominum pandere iudicans,
Nè des ſupplicia horrida noxijs,
Sed iuſtis bona præmia.
Præſta hoc genitor optime maxime,
Et tu nate Dei, *& bone ſpiritus,*
Regnans perpetuò fulgida Trinitas,
Per cunćta piè ſecula.

COLLECTA.

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus, vt illuc noſtræ mentis intentio, quo venturæ ſolennitatis glorioſus author ingreſſus eſt, ſemper intendat: & quò fide pergit, conuerſatione perueniat. Per &c.

AD MATVTINAS HYMNVS.

AEterne rex altiſſime,
Redemptor & fidelium,
Quo mors ſoluta deperit,
Datur triumphus gratiæ.
Scandens tribunal dextræ
Patris, poteſtas omnium
Collata IESV *cælitùs,*
Quæ non erat humanitùs.

Vt trina rerum machina,
Cæleſtium, terreſtrium,
Et infernorum condita,
Flectat genu iam ſubdita.
Tremunt videntes angeli,
Verſa vice mortalium,
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus, Dei caro.
Tu eſto noſtrum gaudium
Manens olympo præditum,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.
Hinc te precantes, quæſumus,
Ignoſce culpis omnibus,
Et corda ſursùm ſubleua
Ad te ſuperna gratia.
Vt cùm repentè cœperis
Clarere nube iudicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Gloria tibi Domine,
Qui ſcandis ſuper ſidera,
Cum patre & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

INTROITVS MISSAE.

Acto.1. VIri Galilæi, quid admiramini, adſpiciẽtes in cęlum? Allel. Quẽadmodùm vidiſtis cum

eum aſcendentem in cælum, ità veniet, Alle. all. all. Pſal. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Pſal. 46.

COLLECTA.

COncede, quæſumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitũ tuum redemptorem noſtrum ad cælos aſcendiſſe credimus, ipſi quoquè mente in cæleſtibus habitemus. Per eundem.

LECTIO ACTVVM APOST. I.

PRimum quidem ſermonẽ feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, vſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis per Spiritumſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt. Quibus & præbuit ſeipſum viuum poſt paſsionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et cõueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis nè diſcederent, ſed expectarent promiſsionem patris: quã audiſtis (inquit) per os meum, quia Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritusancto, non poſt multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Nõ eſt veſtrum nôſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritusſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque

ad vltimum terræ. Et quum hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ. Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri *Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cælum?* Hic Ieſus *qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cælum.*

Pſal. 67. Alleluia. Verſ. Aſſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ, All. Verſ. Dominus in Sinai ſancto, aſſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.

SEQVENTIA.

SVmmi triumphũ regis proſequamur laude, Qui cæli, qui terræ regit ſceptra, inferni iure domito. Qui ſeſe pro nobis redimendis permagnum dedit precium. Huic nomen extat conueniens, Idithum. Nam tranſiliuit omnes ſtrenuè montes, colliculosque Bethel. Saltum de cælo dedit in virginalem ventrem, indè in pelagus ſeculi. Poſtquàm illud ſuo mitigauit potentatu, tetras Phlegethontis aſſilijt tenebras. Principis illius diſturbato imperio, Maniplis plurimis indè erutis, mundũ illuſtrat ſuo iubare. Captiuitatemque detentam inibì, victor duxit ſecum. Et rediuiuum iam ſuis ſe præbuit ſeruis & amicis. Denique ſaltum dederat hodiè maximum, nubes polosque curſu præpeti tranſuolans. Celebret ergò populus hunc diem credulus, cuius morbi-

morbida Idithum corpora, in ſemetipſo altis ſedibus cæli inuexit Dei filius. Et tremens iudicem expectet adfuturum, vt duo Angeli fratres docuerunt. Qui Ieſus à vobis aſſumptus eſt in cælum, iterùm veniet vt vidiſtis eū. Iam Idithum noſtrum vocibus ſedulis omnes imploremus, Vt à dextris patris qui ſedet, ſpiritum mittat nobis ſanctum. In finem ſeculi ipſequoquè ſemper ſit nobiſcum. Amen.

EVANGELIVM S. MARC. XVI.



IN illo tempore: Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium

omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, Linguis loquentur nouis, Serpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Ieſus poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbiquè, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

OFFERTORIVM.

Pſal. 46. ASſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ, Alleluia.

COMMVNIO.

Pſal. 67. PSallite Domino qui aſſcendit ſuper cælos cælorum ad Orientem, Alleluia.

DOMINICA INFRA OCTAVAM.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal. 26. EXaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, Alleluia, alleluia, dixit cor meum: Quæſiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, nè auertas faciem tuam à

Ibid. me, Alleluia, Alleluia. Pſalm. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo?

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & deuotam gerere volūtatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſeruire. Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA I. PET. IIII.

CHariſſimi: Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. *Si quis loquitur, quaſi ſermones* Dei. *Si quis miniſtrat, tāquàm ex virtute, quam adminiſtrat* Deus, *vt in omnibus honorificetur* Deus, *per* Ieſum *Chriſtum* Dominum *noſtrū.*

Alleluia. Verſ. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalē. Verſ. Pſal.64.
Replebimur in bonis domûs tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate, Allel.
Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Pſal.147.

EVANGELIVM IOHAN. XV. & XVI.

IN *illo tempore:* Dixit Ieſus *diſcipulis ſuis:* Cùm *venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis,*



bitis, quia ab initio mecũ eſtis. Hæc loquutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

OFFERTORIVM.

Pſal. 145. LAuda anima mea Dominũ, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo, quandiù ero, Alleluia.

COMMVNIO.

Iohã. 17. PAter, cùm eſſem cum eis, ego ſeruabã eos, quos dediſti mihi, All. nunc ad te venio: nõ rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à ma-

à malo, Alleluia, alleluia.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſeruire, Per &c.

IN FESTO PENTECOSTES.

AD VESPERAS

HYMNVS.

VEni creator ſpiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creâſti pectora.
Qui paracletus diceris,
Donum Dei altiſsimi,
Fons viuus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis vnctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promiſſum patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hoſtem repellas longiùs,
Pacemq; dones protinùs,
Ductore ſic te præuio
Vitemus omne peßimum.
Per te ſciamus da patrem,
Noſcamus atque filium,
Te vtriuſque ſpiritum
Credamus omni tempore.

AD MATVTINVM
HYMNVS.

IAm Chriſtus aſtra aſcenderat,
Reuerſus vndè venerat:
Promiſſum Patris munere
Sanctum daturus Spiritum.
Solennis vigebat dies,
Quo myſtico ſeptemplici
Orbis volutus ſeptiès,
Signat beata tempora.
Dum hora cunctis tertia
Repentè mundus intonat,
Orantibus Apoſtolis
Deum veniſſe nunciat.
De Patris ergò lumine
Decorus ignis almus eſt,
Qui fida Chriſti pectora
Calore verbi compleat.
Impleta gaudent viſcera,

Afflata

Afflata ſancto Spiritu
Voces diuerſas intonant,
Fantur Dei magnalia.
Ex omni gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctiſq; admirantibus,
Linguis loquuntur omnium.
Iudæa tunc incredula,
Veſana toruo ſpiritu,
Ructare muſti crapulam
Alumnos Chriſti concrepat.
Sed ſignis & virtutibus
Occurrit, & docet Petrus
Falſa profari perfidos,
Iohele teſte comprobans.
Gloria Patri Domino,
Natóque, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſeculorum ſecula. Amen.

AD LAVDES.

BEata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cùm Spiritus Paraclitus
Effulſit in diſcipulos.
Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis vt eſſent proflui,

Et charitate feruidi.
Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium,
Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleuerat.
Patrata ſunt hæc myſticè,
Paſcha peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remiſſio.
Te nunc Deus piiſſime,
Vultu precamur cernuo,
Illapſa nobis cælitùs
Largire dona Spiritûs.
Dudùm ſacrata pectora
Tua replêſti gratia:
Dimitte noſtra crimina,
Et da quieta tempora.
Gloria Patri Domino &c.

COLLECTA.

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, vt claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat: & lux tuę lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati ſunt, Sanctiſpiritûs illuſtratione confirmet. Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Sap.I. SPiritus Domini repleuit orbem terrarum, Alleluia: & hoc quod continet omnia, ſcientiam

entiam habet vocis, All. all. all. Pſal. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem. Pſal.67.

LECTIO ACTVVM APOST. II.

IN *diebus illis: Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquàm aduenientis ſpiritûs vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquàm ignis, ſeditq́; ſupra ſingulos eorũ. Et repleti ſunt omnes Spirituſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis. Erant autem in Hieruſalem habitãtes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicèm dicentes: Nónne eccè omnes iſti qui loquũtur, Galilæi ſunt? Et quomodò nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoquè & Proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.*

Alle-

Pſal.103. Alleluia. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, Alle. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

SEQVENTIA.

SAncti ſpiritus aſſit nobis gratia: Quæ corda noſtra ſibi faciat habitaculum, Expulſis indè cunctis vitijs ſpiritalibus. Spiritus alme illuſtrator hominum, Horridas noſtræ mentis purga tenebras: Amator ſancte ſenſatorum ſemper cogitatuum, Infunde vnctionē tuā clemens noſtris ſenſibus. Tu purificator omniū flagitiorum ſpiritus, Purifica noſtri oculum interioris hominis, Vt videri ſupremus genitor poſſit à nobis, Mūdi cordis quem ſoli cernere poſſunt oculi. Prophetas tu inſpirâſti, vt præconia Chriſti præcinuiſſent inclyta. Apoſtolos tu confortâſti, vtì trophæum Chriſti per totum mundum veherent. Quandò machinam per verbum ſuum fecit Deus cæli, terræ, marium, Tu ſuper aquas, foturus eas, numen tuum expandiſti Spiritus. Tu animabus viuificandis aquas fœcundas: Tu adſpirādo das ſpiritales eſſe homines: Tu diuiſum per linguas mundum & ritus adunâſti Domine. Idololatras ad cultum Dei reuocas magiſtrorum optime. Ergò nos ſupplicantes tibi, exaudi propitius ſancte Spiritus, Sine quo preces omnes caſſæ creduntur & indignę Dei auribus. Tu qui omnium ſeculorum ſanctos

tui

tui numinis docuiſti inſtinctu amplectendo ſpiritus, Ipſe hodiè Apoſtolos Chriſti donans munere inſolito, & cunctis inaudito ſeculis, Hunc diem glorioſum feciſti.

EVANGELIVM IOHAN. XIIII.



IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionē apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me, patris. Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autē Spiritusſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

Pacem

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: nõ quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiquè, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia ego diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

OFFERTORIVM.

Pſal.67. COnfirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo, quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent reges munera, All.

COMMVNIO.

Acto.2. FActus eſt repentè de cælo ſonus aduenientis ſpiritûs vehementis, vbi erant ſedentes, all. & repleti ſunt omnes Spirituſancto, loquentes magnalia Dei, All. all. all.

COLLECTA.

DEus, qui hodierna die corda fideliũ ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere, Per Dominum noſtrum, &c.

FERIA II.

AD MISSAM INTROITVS.

Cibauit

CIbauit eos ex adipe frumenti, Alleluia, & de petra melle ſaturauit eos, Alleluia, alleluia, all. Pſalm. Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. Pſal. 80. Ibid.

COLLECTA.

DEus, qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, vt quibus dediſti fidem, largiaris & pacem: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spirituſſancti &c.

LECTIO ACTVVM APOST. X.

IN *diebus illis: Aperiens Petrus os ſuum, dixit: Viri fratres & patres, nobis præcepit Dominus prædicare & teſtificari populo, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spirituſſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circunciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spirituſſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritumſanctum acceperunt ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Alle-

Acto. 2. Alleluia. Loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei, Alleluia. Verſ. Veni ſancte Spiritus, reple &c. vt ſup. pag. 220.

SEQVENTIA QVAE COMMVNIS eſt de Spiritu ſancto.

VEni ſancte Spiritus, & emitte cęlitùs lucis tuæ radium. Veni pater pauperum: veni dator munerum, veni lumen cordium, Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium: In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine nihil eſt in lumine, nihil eſt innoxium. Laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium. Flecte quod eſt rigidum: foue quod eſt frigidũ: rege quod eſt deuium. Da tuis fidelibus in te confidentibus ſacrum Septenarium. Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

EVANGELIVM IOHAN. III.

IN illo tempore: Dixit Ieſus *diſcipulis ſuis:* Sic Deus *dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit* Deus *filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credidit in nomine vnigeniti filij* Dei. *Hoc eſt autem iudi-*



cium, quia lux venit in mundum, & dilexerut homi-nes magis tenebras, quàm lucẽ: Erant enim opera eorũ mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucẽ, & non venit ad lucẽ, vt non arguãtur opera eius. Qui autem facit veritatẽ, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt. OFFERTOR.

Confirma hoc &c. Vt ſuprà 222.

COMMVNIO.

Spiritus ſanctus docebit vos, Allel. quęcunque dixero vobis, Allel. Iohã. 14.

FERIA III.

INTROITVS MISSAE.

Accipite iocunditatem glorię veſtrę, Alle. 4 Eſd 2.
gratias agentes Deo, all qui vos ad cæleſtia regna vocauit, All. all. all. Pſal. Attendite Pſal. 77.
popule meus legem meam, inclinate aurem

veſtram in verba oris mei.

COLLECTA.

ASſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritusſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per.

LECTIO ACTVVM APOST. VIII.

IN diebus illis: Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erāt Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Iohannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritumſanctum: nondùm enim in quempiam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini noſtri Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritumſanctum.

Pſal.32. Alleluia. Verſ. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Allel. Veni ſancte Spiritus, &c. Vt ſuprà 228.

EVANGELIVM IOHAN. X.

IN illo tēpore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis: Qui non intrat per oſtiū in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatìm, & educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illū ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt

uerunt



nerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum IESVS: *Amen amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audiêrunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introiêrit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

OFFERTORIVM.

COnfirma hoc Deus, quod operat⁹ es in nobis à templo ſancto &c. Vt ſuprà pag. 222.

COMMVNIO.

SPpiritus qui à patre procedit, Allelu. ille me clarificabit, Alleluia, allel. Iohã. 15.

FERIA IIII.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 67. DEus, dum egredereris coram populo tuo, Allel. iter faciens eis, all. habitans in illis,
Ibid. all. all. Pſal. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderũt eum, à facie eius.

COLLECTA.

MEntes noſtras, quęſumus Domine, paracletus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit filius, veritatem: Qui tecum &c.

EPISTOLA ACTVVM V.

IN diebus illis: Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus. Magis autẽ augebatur credẽtium in Domino multitudo virorũ & mulierum, ità vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerẽt eos in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenq; illorũ, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Alleluia. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fideliũ, & tui amoris in eis ignẽ accende.

EVANGELIVM IOH. VI.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit

eum:

eum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Eſt enim Eſa.54.
ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Hier.31.
Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: non quia patrem vidit quiſquam, niſi is, qui à Deo eſt, hic vidit patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.

OFFERTORIVM.

EMitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem &c. Vt ſuprà. Pſal.103.

COMMVNIO.

PAcem meam do vobis, Alleluia: pacem meam relinquo vobis, Allel. allel. Iohã.14.

DE SANCTA TRINITATE.

HYMNVS.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis vnitas,
Iam ſol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te manè laudum carmine,

Te precemur veſperè:
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſecula.
Deo patri ſit gloria,
Eiusq; ſoli filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum.

Antiph. ſuper Magnif.

BEnedicta ſit creatrix & gubernatrix omnium ſancta & indiuidua Trinitas, & nunc & ſemper, & per infinita ſeculorum ſecula.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti nobis famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt in eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis: Per Dominum noſtrum Ieſum &c.

AD LAVDES HYMNVS.

TV Trinitatis vnitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ excubantes pſallimus.
Ortus refulget Lucifer,
Sparſamq; lucem nunciat,
Cadit caligo noctium,
Lux ſancta nos illuminet.

Deo Patri ſit gloria &c.

AD MISSAM INTROITVS.

BEnedicta ſit S. Trinitas atque indiuiſa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Pſal. Benedicamus patrem & filium cum ſancto Spiritu.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus,&c. vt iam ſuprà recitata. pag. 230.

EPISTOLA AD ROM. XI.

O Altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei: *quàm incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum* Domini? *aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* I*pſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*

GRADVALE.

BEnedictus es Domine, qui intueris abyſſos,& ſedes ſuper Cherubin. Verſ. Benedictus es in throno regni tui & laudabilis in ſecula. Allel. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis in ſecula, Allel. Omnium in te credentium ſuſcipe vota, Trinitas alma, tibi gloria & laus æterna. Dan. 3.

SEQVENTIA.

BEnedicta ſemper ſancta ſit Trinitas, Deitas ſcilicet vnitas, coæqualis gloria. Pater,

ter, filius, ſanctuſſpiritus, tria ſunt nomina, oĩa eadem ſubſtantia. Deus genitor, Deus genitus, in vtroq; ſacer ſpiritus, Deitate ſocia. Non tres tamen dij ſunt, Deus verus vnus eſt: ſic pater dominus, filius, ſpirituſque ſanctus. Proprietas in perſonis, vnitas eſt & in eſsẽtia. Maieſtas par & poteſtas, decus, honor æquè per omnia. Sidera, maria, continens, arua ſimul & vniuerſa condita. Quem tremunt impia tartara, colit quoque quem & abyſſus infima. Quem laudant ſol atque luna, dignitas adorat angelica. Hinc omnis vox atque lingua fateatur hunc laude debita. Et nos voce præcelſa nunc omẽs modulemur organica cantica dulci melodia. Eià & eià nunc ſimul iubilemus altithrono Domino laudes in excelſis. O adoranda Trinitas, O veneranda vnitas, Per te ſumus creati vera æternitas, Per te ſumus redempti ſumma tu charitas. Populum cunctum tu protege, ſalua, libera, eripe, & emunda. Te adoramus omnipotens, tibi canimus, tibi laus & gloria, Per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

EVANGELIVM IOHAN. III.

IN illo tempore: *Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpõdit Ieſus, & dixit: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò,*



non poteſt videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodò poteſt homo renaſci cùm ſit ſenex? Nunquìd poteſt in ventrem matris ſuæ iterùm introire, & renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Quod natū eſt ex carne, caro eſt: & quod natū eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos naſci denuò. Spiritus vbi vult, ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis vndè veniat, aut quò vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amē amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſta-

teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodò ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cælũ, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Et ſicut Moiſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

OFFERTORIVM.

BEnedictus ſit Deus pater, vnigenitusque Dei filius, ſanctus quoquè Spiritus, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

COMMVNIO.

BEnedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI.

HYMNVS.

PAnge lingua glorioſi corporis myſterium,
Sanguinisq; precioſi, quem in mundi precium,
Fructus ventris generoſi, rex effudit gentium.
Nobis natus, nobis datus ex intacta virgine,
Et in mundo conuerſatus, ſparſo verbi ſemine,
Sui moras incolatûs miro clauſit ordine.
In ſupremæ nocte cœnæ recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plenè cibis in legalibus,

Cibum

Cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus.

Verbum caro, panem verum verbo carnem efficit,
Fitq́; ſanguis Chriſti merum: & ſi ſenſus deficit,
Ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficit.

Tantum ergò Sacramentum veneremur cernui,
Et antiquum documentum nouo cedat ritui,
Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui.

Genitori genitoq́; laus & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoquè ſit & benedictio,
Procedenti ab vtroque compar ſit laudatio. Amen.

Antiph. ſuper Mag.

O Quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes. Sap. 12.

COLLECTA.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ità nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus; Qui viuis & regnas &c.

AD MATVTINVM

HYMNVS.

SAcris ſolennibus iuncta ſint gaudia,
Et ex præcordijs ſonent præconia:

Recedant vetera, noua ſint omnia,
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur cœna nouiſſima,
Qua Chriſtus creditur agnum & azyma
Dediſſe fratribus, iuxta legitima
Priſcis indulta patribus.
Poſt agnum typicum expletis epulis,
Corpus Dominicum datum diſcipulis,
Sic totum omnibus, quòd totum ſingulis,
Eius fatemur manibus.
Dedit fragilibus, corporis ferculum,
Dedit & triſtibus, ſanguinis poculum,
Dicens: accipite quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic ſacrificium iſtud inſtituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus ſic congruit
Vt ſumant & dent cæteris.
Panis Angelicus fit panis hominum;
Dat panis cælicus figuris terminum:
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, ſeruus, & humilis.
Te trina Deitas vnáq; poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus:
Per tuas ſemitas duc nos quò tendimus,
Ad lucem quam inhabitas. Amen.

AD LAVDES HYMNVS.

Verbum

VErbum ſupernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus ſuum exiens
Venit ad vitæ veſperam.
In mortem à diſcipulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs in vitæ ferculo
Se tradidit diſcipulis.
Quibus ſub bina ſpecie
Carnem dedit & ſanguinem:
Vt duplicis ſubſtantiæ
Totum cibaret hominem.
Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium
Se moriens in precium,
Se regnans dat in præmium.
O ſalutaris hoſtia,
Quæ cæli pandis oſtium:
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium,
Vni trinoq; Domino
Sit ſempiterna gloria:
Qui vitam ſine termino
Nobis donet in patria. Amen.

INTROITVS MISSAE.

CIbauit eos ex adipe frumenti, Allel. & de Pſal.80.
petra melle ſaturauit eos, Allel. all all.

Exul-

Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Jacob.

COLLECTA.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili &c. vt ſuprà in Veſperis. pag. 235.

EPISTOLA I. COR. XI.

FRatres: Ego *accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniã* Dominus Ieſus *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit:* Accipite *& manducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur.* Hoc *facite in meã commemorationem. Similiter & calicem, poſtquàm cœnauit, dicens:* Hic *calix nouum teſtamentũ eſt in meo ſanguine.* Hoc *facite, quotieſcunq; bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcunquè enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem* Domini *annunciabitis, donèc veniat.* Itaque *quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem* Domini *indignè, reus erit corporis & ſanguinis* Domini *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus* Domini.

GRADVALE.

Pſal.144 OCuli omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Verſ. Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione.

Iohã.6. All. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus

verè

verè eſt potus. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.

SEQVENTIA.

LAuda Sion Saluatorem, lauda ducem & paſtorem in hymnis & canticis. Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare ſufficis, Laudis thema ſpecialis, panis viuus & vitalis hodiè proponitur. Quem in ſacrę menſa cœnæ, turbę fratrum duodenæ datum non ambigitur. Sit laus plena, ſit ſonora, ſit iucunda, ſit decora mentis iubilatio. Dies enim ſolennis agitur, in qua menſæ prima recolitur huius inſtitutio. In hac menſa noui regis, nouū paſcha nouę legis, phaſe vetus terminat. Vetuſtatem nouitas, vmbrā fugat veritas, noctem lux eliminat. Quod in cœna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit in ſuî memoriā. Docti ſacris inſtitutis, panē & vinum in ſalutis conſecramus hoſtiam. Dogma datur Chriſtianis, ꝙ in carnē tranſit panis, & vinum in ſanguinem. Quod nō capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem. Sub diuerſis ſpeciebus, ſignis tantùm & non rebus, latent res eximiæ. Caro cibus, ſanguis potus, manet Chriſtus tamē totus ſub vtraque ſpecie. A ſumente nō conciſus, nō confractus, non diuiſus, integer accipitur. Sumit vnus, ſumūt mille, quantū iſti, tantū ille, nec ſumptus abſumitur. Sumūt boni, ſumūt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitûs. Mors eſt mali-

lis, vita bonis: vide, paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus. Fracto demùm ſacramento, nè vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento quantum toto tegitur. Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura, qua nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur. Eccè panis angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus. In figuris præſignatur, cùm Iſaac immolatur: agnus paſchæ deputatur, datur manna patribus. Bone paſtor, panis vere, Ieſu noſtrî miſerere, tu nos paſce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viuentium. Tu qui cuncta ſcis & vales, qui nos paſcis hîc mortales, tuos ibi commenſales, cohæredes & ſodales fac ſanctorum ciuium.

EVANGELIVM IOH. VI.



In

IN illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

OFFERTORIVM.

SAcerdotes incenſum Domini & panes offerunt Deo, & ideò ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius, Alleluia. Leui.21.

COMMVNIO.

QVotieſcunquè manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donèc veniat. Itaque quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & ſanguinis Domini. Alleluia. 1.Cor.11.

DOMINICA I.

POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

DOmine, in tua miſericordia ſperaui, exultauit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi. Pſalm. Vſquequò obliuiſceris me in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me? Pſal.12. Ibid.

COLLECTA.

DEus, in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas: præſta auxilium gratię tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, qui tecum &c.

EPISTOLA I. IOH. IIII.

CHariſsimi: Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſsimi, ſi Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquàm. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam pater miſit filium ſuum Saluatorem mundi, vt viuamus per eum. Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam IESVS eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in

die

die iudicij, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitáte, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo DEVM, *& fratrem ſuũ oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt,* DEVM *quem non videt, quomodò poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

GRADVALE.

EGo dixi, Domine miſerere meî, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Verſ. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Pſal. 40.

Allel. Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Pſal. 7.

EVANGELIVM LVCAE XVI.

IN *illo tempore, dixit* IESVS *diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius, hulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis: & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant hulcera eius. Factum eſt autem vt mo-*



veretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham àlongè, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſerere meî, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flãma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poßint, neque indè huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergò te pater, vt mittas eum in domum patris mei, Habeo enim quinq; fratres, vt

teſte-

teſtetur illis, nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis iërit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. OFFERTORIVM.

INtende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine. Pſal. 5.

COMMVNIO.

NArrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo altiſſime.

In 2. Veſp. Hymnus, Lucis creator opt. vt ſup. pag. 6.

DOMINICA II.

POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

FActus eſt Dominus protector meus, & eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me. Pſalm. Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Pſal. 17. Ibid.

COLLECTA.

SAncti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquàm tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis: Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA I. IOHAN. III.

CHariſsimi: Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.

GRADVALE.

Pſal. 119. AD Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Verſ. Domine, libera animam meã à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

Pſal. 17. Alleluia. Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

EVANGELIVM LVC. XIIII.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Primus dixit



ei: Villam emi, & neceſſè habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: *Iuga boū emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum.* Et alius dixit: *Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Et reuerſus ſeruus, nunciauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Et ait ſeruus: *Domine, factum eſt vt imperâſti, & adhuc locus eſt.* Et ait Dominus ſeruo ſuo: *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorū illorū qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 6. DOmine, conuertere & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Domine, nè in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.

COMMVNIO.

Pſal. 12. CAntabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

DOMINICA III. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 24. REſpice in me, & miſerere meî Domine: quoniam vnicus & pauper ſum ego: vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea Deus meus. Pſal.

Ibid. Ad te leuaui animam meam Deus meus, in te confido, non erubeſcam.

COLLECTA.

DEprecationem noſtram, quæſumus, Domine benignus exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium: Per Dominum &c.

EPISTOLA I. PET. V.

CHariſſimi: *Humiliamini ſub potenti manu* Dei, *vt vos exaltet in tempore viſitationis, omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquàm leo rugiens circumit,*

cumit, quærens quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paßionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto IESV, *modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq́; ipſi gloria & imperiū in ſecula ſeculorū.*

GRADVALE.

IActa cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Verſ. Dum clamarem ad Dñm, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi. Alleluia. Pſal. 54.

EVANGELIVM LVC. XV.



IN *illo tempore: Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quia hic*

peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donèc inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico autem vobis, quòd ità gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decē, ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euertit totam domum, & quærit diligenter donèc inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ità dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

OFFERTORIVM.

Pſal. 9. SPerent in te omnes qui nouerunt nomē tuū Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. Pſallite Domino, qui habitat in Sion, quoniam non eſt oblitus orationem pauperum.

COMMVNIO.

Pſal. 16. EGo clamaui, quoniam exaudiſti me: Deus, inclina aurē tuā, & exaudi verba mea.

AD

AD VESPERAS HYMNVS.

Lucis creator optime. &c. vt ſup. pag. 6.

DOMINICA IIII.
POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

DOminus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus defenſor vitæ meæ, à quo trepidabo? qui tribulant me inimici mei, infirmati ſunt & ceciderunt. Pſal. Vnam petij à Dño, hanc requiram, vt inhabitem in Domo Dñi omnibus diebus vitę meæ. Pſal. 26. Ibid.

COLLECTA.

PRotector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validũ, nihil ſanctum: multiplica ſupér nos miſericordiã tuam, vt te rectore, te duce ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna: Per. &c.

EPISTOLA AD ROM. VIII.

F*Ratres: Exiſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nam *expectatio creaturæ reuelationem filiorum* Dei *expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum* DEI. *Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Non *ſolùm autem illa,*

illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritûs habẽtes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri, in Chriſto IESV *Domino noſtro.*

GRADVALE.

Pſal.78. PRopitius eſto Domine peccatis noſtris, nè quandò dicant gentes, vbì eſt Deus eorum? Verſ. Aduua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Dñe libera nos.
Pſal.30. & 70. Alleluia. Verſ. In te Domine ſperaui, non cõfundar in æternum: in tua iuſtitia libera me & eripe me: Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eripias me.

EVANGELIVM LVC. VI.



IN *illo tempore, dixit* IESVS *diſcipulis ſuis: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſeri-*

cors

cors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadē quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem & illis ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodò potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui.

OFFERTORIVM.

ILlumina oculos meos, nè quandò obdormiam in morte, nè quandò dicat inimicus meus, Præualui aduersùs eum. Pſal. 12.

COMMVNIO.

DOminus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, adiutor meus. Pſal. 17.

DOMINICA V.

POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Ex-

Pſal. 26. EXaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: adiutor meus eſto, nè derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Pſalm. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? COLLECTA.

DEus, qui diligentibus te bona inuiſibilia præparâſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, vt te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, cōſequamur: Per Dominum noſtrum. &c.

EPISTOLA I. PET. III.

CHariſſimi: Omnes vnanimes in oratione eſtote, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionẽ hæreditate poſſideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguã ſuam à malo, & labia eius nè loquantur dolum. Declinet *à malo, & faciat bonum: inquirat pacẽ, & ſequatur eam: quia oculi* Domini *ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* Vultus *autem* Domini *ſuper faciẽtes mala.* Et *quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Sed *& ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati.* Timorem *autem eorum nè timueritis, vt non conturbemini:* Dominum *autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.*

GRADVALE.

PRotector noſter adſpice Deus, & reſpice Pſal.83.
ſuper ſeruos tuos. Verſ. Domine Deus vir-
tutum,exaudi preces ſeruorum tuorum.
Alleluia. Verſ. Attendite popule meus in Pſal.77.
legem meam.

EVANGELIVM LVC. V.



IN *illo tempore : Cùm turbæ irruerent in* IESVM,
vt audirent verbum Dei, *& ipſe ſtabat ſecus ſtà-*
gnum Genezareth : & vidit ibi duas naues ſtantes
ſecus ſtagnum : piſcatores autem deſcenderant, & la-
uabant retia. Aſcendens autem in vnam nauim quæ
erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillùm.
Et ſedens, docebat de nauicula turbas. Vt *loqui au-*
tem ceſſauit, dixit ad Simonẽ*: Duc in altũ, & laxa-*
te

te retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos: & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ità vt penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, *dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem* IESVS: *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 15. BEnedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum: prouidebam Deum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, nè commouear.

COMMVNIO.

Pſal. 26. VNam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

IN

INTROITVS MISSAE.

DOminus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, ſaluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos vſque in ſeculum. Pſal. Ad te Domine clamabo, Deus meus nè ſileas à me, nè quandò taceas à me. Pſal. 27. Ibid.

COLLECTA.

DEus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, vt quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita, cuſtodias: Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA AD ROM. VI.

FRatres: Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quemadmodùm ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ità & nos innouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus, quia ſimul etiã viuemus cum illo. Scientes quòd Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non domi-

nabitur. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemèl: quod autem viuit, viuit Deo. *Ità & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem* Deo, *in Chriſto* IESV *Domino noſtro.*

GRADVALE.

Pſal. 89. Conuertere Domine aliquantulum, & deprecare ſuper ſeruos tuos. Verſ. Domine, refugium factus es nobis à generatione & progenie.

Pſal. 87. Alleluia. Verſ. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.

EVANGELIVM MATT. V.



In illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plùs quàm ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum*

regnum cælorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum.

OFFERTORIVM.

PErfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea: inclina aurē tuā, & exaudi verba mea: mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te Domine. Pſal.16.

COMMVNIO.

CIrcuibo & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis: cātabo, & pſalmum dicam Domino. Pſal.26.

DOMINICA VII.
POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

OMnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Pſal. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Pſal.46.

COLLECTA.

DEus, cuius prouidentia in ſuî diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas: Per Dominum &c.

EPISTOLA AD ROM. VI.

FRatres: Humanum dico propter infirmitatẽ carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ità nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergò fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorũ mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem: finem verò, vitam æternam. Stipendium enim peccati mors eſt: gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto IESV *Domino noſtro.*

GRADVALE.

Pſal. 33. VEnite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Verſ. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Pſal. 89. Alleluia. Verſ. Domine, refugium factus es nobis à generatione & progenie.

EVANGELIVM MARC. VIII.

IN illo tempore: Cùm turba multa eſſet cum IESV, *nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis ſuis, ait illis: Miſereor ſuper turbam,*



quia eccè iam triduò ſuſtinent me, nec habent, quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domos ſuas, deficient in via. Quidam enim ex his à longè venerũt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui. Vndè iſtos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerũt turbæ: & habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſsit apponi. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerũt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

OFFERTORIVM.

 Sic-

Dan 3. SIcut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnórum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodiè, vt placeat tibi, quia non eſt confuſio confidentibus in te Domine.

COMMVNIO.

Pſal.30. Inclina aurem tuam, accelera vt eruas me.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.47. SVſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, ſecundùm nomen tuum Deus, ità & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.
Ibid. Pſal. Magnus Dominus & laudabilis nimìs in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

COLLECTA.

LArgire nobis Domine, quæſumus, ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi, vt qui ſine te eſſe nō poſſumus, ſecundùm te viuere valeamus: Per &c.

EPISTOLA AD ROM. VIII.

FRatres: Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adopti-

optionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

GRADVALE.

ESto mihi in Deum protectorē, & in locum refugij, vt ſaluum me facias. Verſ. Deus, in te ſperaui Dñe, non confundar in ęternum. Pſal. 30. & 70.

Alleluia. Verſ. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Ver. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Pſal. 94.

EVANGELIVM MATT. VII.



IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſti-

mentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos: Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Nō poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

OFFERTORIVM.

Pſal. 17. POpulum humilem ſaluum facies Domine, & oculos ſuperborū humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine?

COMMVNIO.

Pſal. 53. GVſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, beatus vir qui ſperat in eo.

DOMINICA IX.
POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 53. ECcè Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ: auerte mala inimicis meis, in veritate tua diſperde illos protector
Ibid. meus Domine. Pſal. Deus, in nomine tuo ſaluum me fac, & in veritate tua libera me.

COLLECTA.

PAteant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita, poſtulare : Per &c.

EPISTOLA I. COR. X.

FRatres: Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neq; idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodùm ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod.32. *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.* Num.25. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam illorum tentauerunt, & à ſerpentibus periêrunt.* Num.21. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & periêrunt ab exterminatore.* Num.14. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat. Tentatio vos non appræhendat, niſi humana. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poßitis ſuſtinere.*

GRADVALE.

DOmine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Pſal.18.
Verſ. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Pſal.94. Alleluia. Verſ. Quoniã Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnem terram.

EVANGELIVM LVC. XVI.



IN illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſsipâſſet bona illius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris ampliùs villicare. Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam, quia dominus meus auſert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt cùm amotus à villicatione fuero, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados*

olei.

olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta. Deindè alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

OFFERTORIVM.

IVſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: & dulciora ſuper mel & fauum. nam & ſeruus tuus cuſtodit ea. Pſal.18.

COMMVNIO.

PRimùm quærite regnum Dei, & omnia adijcientur vobis, dicit Dominus. Matt.6.

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

DVm clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam, ab his qui appropinquant mihi, & humiliauit eos qui eſt ante ſecula, & manet in æternum. iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Pſal. Exaudi Domine orationem meã, & nè deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Pſal.54. Ibid.

COLLECTA.

Deus,

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos gratiam tuam, vt ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per &c.

EPISTOLA I. COR. XII.

FRatres: Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideò *notum vobis facio, quòd nemo in ſpiritu* Dei *loquens, dicit anathema* IESV. *Et nemo poteſt dicere, Dominus* Ieſus, *niſi in Spirituſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones adminiſtrationum ſunt, idem autem* Dominus. *Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò* Deus, *qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ. Alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: Alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum,* Hæc *autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus; diuidens ſingulis, prout vult.*

GRADVALE.

Pſal. 16. CVſtodi me Dominè vt pupillã oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me. Verſ. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æqnitatem.

Alle-

Alleluia. Verſ. Eripe me de inimicis meis Pſal.56.
Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera
me.

EVANGELIVM LVC. XIX.



IN illo tempore: Cùm appropinquaret IESVS Hieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu: & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndiquè, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum, cœpit eÿcere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum

eſt,

Pſal.56. Hier.7. *eſt, quia domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Et erat *quotidiè docens in templo.*

OFFERTORIVM.

Pſal.24. AD te Dñe leuaui animã meã: Deus meus, in te confido non erubeſcã: neque irrideãt me inimici mei: etenim vniuerſi qui te expectant, non confundentur.

COMMVNIO.

Pſal.50. ACceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblatiões & holocauſta ſuper altare tuum Domine.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.67. DEus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ. Pſal. Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. (Ibid.)

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicũ excedis & vota, effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas quæ conſcientia metuit, & adijcias quod oratio non præſumit: Per Dominum &c.

EPISTOLA I. COR. XV.

FRatres: *Notum facio vobis Euangelium, quod & prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis,*

ſtatis, per quod & ſaluamini, qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtrà credidiſtis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim. Deindè viſus eſt plùs quàm quingentis fratribus ſimul : ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deindè viſus eſt Iacobo, deindè Apoſtolis omnibus: Nouiſsimè autem omniũ, tanquàm abortiuo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit.

GRADVALE.

IN Domino ſperauit cor meum, & adiutus ſum, & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Verſ. Ad te Domine clamaui, Deus meus nè ſileas à me, nè diſcedas à me. Pſal. 27. Ibid.

Alleluia. Verſ. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Pſal. 104.

EVANGELIVM LVC. XVIII.

IN illo tempore, dixit IESVS *ad quoſdam, qui in ſe confidebant, tãquàm iuſti, & aſpernabantur cæteros,*



teros, parabolam iſtam, dicens : Duo *homines aſcen-derunt in templum, vt orarent : vnus phariſæus, & alter publicanus.* Phariſæus *autem ſtans, hæc apud ſe orabat.* Deus, *gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poßideo.* Et *publicanus ſtans à longè, nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens :* Deus, *propitius eſto mihi peccatori.* Amen *dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo :* Quia *omnis qui ſe exaltat, humiliabitur : & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 29. EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepſti me, nec dilatâſti inimicos meos ſuper me.

Do-

Domine, clamaui ad te, & ſanâſti me.

COMMVNIO.

HOnora Dominum de tua ſubſtantia & de primitijs frugum tuarum, vt impleantur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt. Pro.3.

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

DEus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me feſtina: cõfundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Pſal. Auertantur retrorſùm & erubeſcant, qui volunt mihi mala. Pſal.69.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelib⁹ tuis dignè & laudabiliter ſeruiatur: tribue nobis, quæſumus, vt ad promiſſiones tuas ſine offenſione curràmus: Per Dominum &c.

EPISTOLA II. COR. III.

FRatres: Fidutiam talem habemus per Chriſtum ad Deum: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quòd ſi miniſtratio mortis,

literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ità vt filij Iſrael non poſſent intendere in faciem Moiſis, propter gloriam vultûs eius, quæ euacuatur, quomodò non magis miniſtratio ſpiritûs erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria.

GRADVALE.

Pſal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Verſ. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.

Pſal. 107. Alleluia. Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum: cantabo & pſallam in vita mea.

EVANGELIVM MARC. VII.



IN *illo tempore: Exiens* Ieſus *de finibus* Tyri, *venit per* Sidonem *ad mare* Galilææ, *inter medios fines* Decapoleos: *& adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Et *apprælendens eum de turba ſeorsùm, miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Et *expuens, tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi:* Ephphata, *quod eſt, adaperire.* Et *ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Et *præcepit illis* Ieſus, *nè cui dicerent. Quanto autẽ magis eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes:* Benè *omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.*

OFFERTORIVM.

PRecatus eſt Moiſes in conſpectu Domini Dei ſui, & dixit: Quare Domine iraſceris populo tuo? parce iræ animi tui: memento Abraham, Iſaac & Iacob, quibus iurâſti dare terram fluentem lac & mel. Et placatus factus eſt Dominus de malignitate, quam dixit facere populo ſuo. Exod.32.

COMMVNIO.

DE fructu operum tuorum Domine ſatiabitur terra: vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Pſal.103.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.73. REſpice in teſtamentum tuum, & animas pauperum tuorum nè derelinquas in finem: Exurge Domine, & iudica cauſam tuam, Ibid. & nè obliuiſcaris voces quærentium te. Pſal. Vt quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum, & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis: Per &c.

EPISTOLA GAL. III.

FRatres: Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico Teſtamentum confirmatũ à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum fecit ad euacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege eſſet hæreditas, iam nõ ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt. Lex ergò aduerſus promiſſa Dei? Abſit.

Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promißio ex fide I E S V *Chriſti daretur credentibus.*

GRADVALE.

RESpice Domine in teſtamentum tuum, & animas pauperum tuorum nè obliuiſcâris in finem. Verſ. Exurge Domine, & iudica cauſam tuam: memor eſto opprobrij ſeruorum tuornm. Pſal. 75. Ibid.

Alleluia. Verſ. Laudate pueri Dominũ, laudate nomen Domini. Verſ. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Pſal. 112.

EVANGELIVM LVCAE X.



IN *illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.* Et eccè *quidam legiſperitus ſurrexit, tentans eum, & dicens:* Magiſter, *quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* At *ille dixit ad eum:* In *lege quid ſcriptum eſt? quomodò legis?* Et *ille reſpondẽs, dixit:* Diliges Dominum Deum *tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.* Dixitq; *illi:* Rectè *reſpondiſti: hoc fac, & viues.* Ille *autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad* Ieſum: Et *quis eſt meus proximus?* Suſpiciens *autem* Ieſus, *dixit:* Homo *quidam deſcendebat ab* Hieraſalem *in* Hiericho, *& incidit in latrones: qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis multis impoſitis, abierunt ſemiuiuo relicto.* Accidit *autem vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo, præteriјt. Similiter &* Leuita, *cùm eſſet ſecus locum, & videret illũ, pertranſijt.* Samaritanus *autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt: & appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit.* Et *altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait:* Curam *illius habe, & quodcunque ſupererogaueris, ego cùm rediero,*

diero, reddam tibi. Quis horum trium videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus: Vade, & tu fac ſimilter.

OFFERTORIVM.

IN te ſperaui Domine: dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. Pſal. 30.

COMMVNIO.

PAnem de cælo dediſti nobis Domine, habentem omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis. Sap. 16.

DOMINICA XIIII.

POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

PRotector noſter adſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui, quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Pſal. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Pſal. 138. Ibid.

COLLECTA.

CVſtodi Domine, quæſumus, Eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur à noxijs, & ad ſalutaria dirigatur: Per Dominum &c.

EPISTOLA GAL. V.

FRatres: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduersùs ſpiritum: Spiritus autem aduersùs carnem. Hæc enim ſibi inuicèm aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, hæreſes, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei *non conſequētur. Fructus autem ſpiritûs, eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduersùs huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.*

GRADVALE.

Pſal. 117. BOnum eſt confidere in Domino, quàm cōfidere in homine: Bonū eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.

Pſal. 113. Alleluia. Verſ. Qui timent Dominum, ſperent in eum: adiutor & protector eorum eſt.

EVANGELIVM LVCAE XVII.

IN illo tempore. Dum iret Ieſus *in* Hieruſalē, *tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur in quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem*



cem viri leproſi, qui ſteterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: IESV *præceptor, miſerere noſtri. Quos vt vidit, dixit:* Ite, *oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans* Deum: *& cecidit in faciem ſuam ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus.Reſpondens autem* Ieſus,*dixit:* Nónne de- *cem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?* Non *eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam* Deo, *niſi hic alienigena. Et ait: Surge & vade, quia fides tua te ſaluum fecit.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 33. IMmittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.

COMMVNIO.

Iohã. 6. PAnis quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi vita.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 85. INclina aurem tuam ad me, & exaudi me: ſaluum me fac Deus meus ſperantem in te: miſerere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Pſal. Lætifica animã ſerui tui, quoniam ad te Domine animã meam leuaui.

COLLECTA.

ECcleſiam tuam Domine miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalua conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur: Per &c.

EPSTOLA GAL. V. & VI.

FRatres: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderãs teipſum, nè & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. nam ſi quis exiſtimat

mat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuũ probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero. vnuſquiſque enim onus ſuum portabit. Cõmunicet autem is qui catechizatur verbo, ei, qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite ergò errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. quoniã qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu & metet vitam æternam. Bonũ autem facientes, non deficiamus. Tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.

GRADVALE.

BOnũ eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Verſ. Ad annunciandũ manè miſericordiam tuam, & veritatem tuã per noctem. Pſal. 91.

Alleluia. Verſ. Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi. Pſal. 116.

EVANGELIVM MATT. VI.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Nam poteſtis DEO *ſeruire & mammonæ. Ideò dico vobis, nè ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca, & corpus*



pus plus quàm veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magìs pluris eſtis illis? Quis autem veſtrûm cogitans, poteſt adÿcere ad ſtaturam ſuam cubitũ vnum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodò creſcunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnũ agri quod hodiè eſt, & cràs in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magìs vos modicæ fidei? Nolite ergò ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? aut, Quid bibemus? aut, Quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indi-

indigetis. Quærite ergò primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

OFFERTORIVM.

EXpectans expectáui Dominum, & reſpexit me, & exaudiuit deprecationem meam, & immiſit in os meum canticum nouum, hymnum Deo noſtro. Pſal. 39.

COMMVNIO.

QVi manducat carnē meam, & bibit ſanguinem meū: in me manet, & ego in eo, dicit Dominus. Iohā. 6.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

MIſerere mihi Domine, quoniā ad te clamaui tota die, quia tu Domine ſuauis ac mitis es, & copioſus in miſericordia omnibus inuocantibus te. Pſal. 85. Pſal. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego. Ibid.

COLLECTA.

TVa nos Domine, quæſumus, gratia ſemper præueniat & ſequatur, ac bonis operibus inhærendo iugiter præſtet eſſe intentos: Per Dominum &c.

EPISTOLA EPHE. III.

FRatres: Obſecro vos nè deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius

rei

rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur: vt det vobis ſecũdùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiore homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati, vt poſsitis cõprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentẽ ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus, ſecũdùm virtutem, quæ operatur in nobis: ipſi gloria in* Eccleſia, *& in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum.*

GRADVALE.

Pſal. 101. Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Verſ. Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in maieſtate ſua.

Pſal. 121. Alleluia. Verſ. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Verſ. Stantes erant pedes noſtri in atrijs Hieruſalem.

EVANGELIVM LVCAE VII.

IN illo tempore: Ibat Ieſus in ciuitatẽ, quæ vocatur Naim, & ibant cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce de



cè defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cũ illa. Quã cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. *Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt, & ait:* Adoleſcens, tibi dico, ſurge. *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.*

OFFERTORIVM.

DOmine, in auxilium meum reſpice: confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam vt auferant eam. Pſal. 70. & 39.

COMMVNIO.

Domi-

Pſal.70. DOmine, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus, docuiſti me à iuuẽtute mea, & vſq; in ſenectam & ſenium nè derelinquas me.

DOMINICA XVII.
POST TRINITATIS.
AD MISSAM INTROITVS.

Pſal.118. IVſtus es Domine, & rectum iudicium tuũ: fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam. Ibid. Pſal. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

DA, quæſumus, Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari: Per Dominum &c.

EPISTOLA EPHE. IIII.

FRatres: *Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patiẽtia ſupportantes inuicèm in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.*

GRADVALE.

Beata

BEata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, Pſal.32.
populus quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi. Verſ. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.
Alleluia. Verſ. Qui confidunt in Domino Pſal.124.
ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem.

EVANGELIVM LVC. XIIII.

IN illo tẽpore: Cùm intraret Ieſus in domũ cuiuſdã principis phariſæorum ſabbato mãducare panem, & ipſi obſeruabãt eum. Et eccè homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens Ieſus, dixit ad legiſperitos & phariſæos, dicẽs: Si *licet ſabbato curare?* *At illi tacuerunt. Ipſe verò apprahenſum ſanauit eũ, ac dimiſit.* Et *reſpondens ad illos, dixit: Cuius veſtrũ aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?* Et *non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, nè fortè honoratior te ſit inuitatus ab eo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi:* Da *huic locum, & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi:* Amice, *aſſcende ſuperiùs. Tũc erit tibi gloria coram ſimul diſcũbentibus. Quia omnis qui*

ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

OFFERTORIVM.

Dan. 9. ORaui Deum meum ego Daniel, dicēs: Exaudi Domine preces ſerui tui, illumina faciem tuam ſuper ſanctuariū tuum, & propitius intende populum iſtum, ſuper quem inuocatum eſt nomen tuum Deus.

COMMVNIO.

Pſal. 75. VOuete & reddite Domino Deo veſtro, oēs qui in circuitu eius affertis munera, terribili & ei qui aufert ſpiritum principum, & terribili apud omnes reges terræ.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

AD MISSAM INTROITVS.

Eccl. 36. DA pacē Dñe ſuſtinētibus te, vt ꝓphetæ tui fideles inueniātur: exaudi preces ſerui &
Pſal. 121. plebis tuæ Iſrael. Pſal. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

COLLECTA.

DIrigat corda noſtra Domine, quęſumus, tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per &c.

EPISTOLA I. COR. I.

FRatres: Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto I. Es

ſto I E S V, *quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia: ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ità vt vobis nihil deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri* I E S V *Chriſti, qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine in die aduentus Domini noſtri* I E S V *Chriſti.*

GRADVALE.

LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Verſ. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Pſal.121.

Alleluia. De profundis clamaui ad te Domine: Domine, exaudi vocem meam. Pſal.129.

EVANGELIVM. MATT. XXII.

IN illo tempore: *Acceſſerunt ad Ieſum phariſæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Hoc *eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Congregatis igitur phariſæis, interrogauit eos* I E S V S, *dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid. Ait illis, Quomodò ergò Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à*

dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergò Dauid vocat eum Dominũ, quomodò filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſpiam ex illa die eũ amplius interrogare.

OFFERTORIVM.

SAnctificauit Moiſes altare Domino, offerens ſuper illud holocauſta: & immolans victimas, fecit ſacrificium veſpertinũ in odorem ſuauitatis Domino Deo in conſpectu filiorum Iſrael.

COMMVNIO.

Pſal. 95. TOllite hoſtias, & introite in atria eius: adorate Dominum in aula ſancta eius.

DOMINICA XIX.
POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

SAlus populi ego ſum, dicit Dominus. de quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus
Pſal. 77. in perpetuum. Pſalm. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

COLLECTA.

OMnipotens & miſericors Deus, vniuerſa nobis aduerſantia propitiatus exclude, vt mente

mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exequamur. Per &c.

EPISTOLA EPHE. IIII.

FRatres: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniã ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vndè tribuat neceſsitatem patienti.*

GRADVALE.

DIrigatur oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo Domine. Verſ. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pſal.140.

Alleluia. Verſ. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & in conſpectu Angelorum pſallam coram te. Pſal.138.

EVANGELIVM MATT. IX.

IN illo tempore: *Aſcendens Ieſus in nauiculã, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce, quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et quum vidiſſet*



Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua? an dicere: Surge, & ambula? Vt ſciatis autem, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata: Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectũ tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit & abijt in domum ſuam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus.

OFFERTORIVM.

Pſal. 138. SI ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine, & ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

COM-

COMMVNIO.

TV mandâſti mandata tua cuſtodiri nimìs: vtinàm dirigantur vię meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Pſal 118.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

OMnia quæ feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus: ſed da gloriam nomini tuo, & fac nobiſcum ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ. Pſal. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Dan.3. Pſal.118.

COLLECTA.

LArgire, quæſumus, Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura mente tibi deſeruiant: Per &c.

EPISTOLA EPHE. V.

FRatres: Videte quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. *Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed impleamini Spirituſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, can*

tantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino: gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & patri, ſubiecti inuicèm in timore Chriſti.

GRADVALE.

Pſal.144. OCuli omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Verſ. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Pſal.145. Alleluia. Verſ. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiù ero.

EVANGELIVM MATT. XXII.



IN illo tempore: Loquebatur Ieſus cum diſcipulis ſuis in parabolis, dicens: Simile factum eſt regnum caelorum

lorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterùm miſit alios ſeruos ſuos, dicens: Dicite inuitatis: Eccè prandium meum paraui, tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abiêrunt alius in villam ſuam, alius verò ad negociationem ſuam. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelia affectos occiderũt. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tũc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt: ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergò ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerũt, bonos & malos: & impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibì hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodò huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc rex dixit miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eũ in tenebras exteriores: ibì erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

OFFERTORIVM.

Super flumina Babylonis illiç ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tuî Sion. Pſal.136.

COMMVNIO.

Pſal. 118. MEmento verbi tui ſeruo tuo Domine, in quo mihi ſpem dediſti, hęc me cōſolata eſt in humilitate mea.

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Eſther 13 IN voluntate tua Domine vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: tu enim feciſti omnia, cælum & terram, & vniuerſa quæ cæli ambitu continen-

Pſal. 118. tur: Dominus vniuerſorum tu es Pſal. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi, vt à cunctis aduerſitatibus te protegente ſit libera, & in bonis actibus tuo nomini ſit deuota: Per Dominum noſtrum Ieſum &c.

EPISTOLA EPHE. VI.

FRatres: Cōfortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias diaboli: Quoniam non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs principatus & poteſtates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia ne-

qui-

quitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij *pacis: in omnibus ſumentes ſcutū fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.* Et *galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum* Dei.

GRADVALE.

DOmine, refugium factus es nobis à generatione & progenie. Verſ. Priuſquàm mōtes fierent & formaretur terra & orbis, à ſeculo & in ſeculum tu es Deus. Pſal. 89.

Alleluia. Verſ. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Pſal. 146.

EVANGELIVM IOHAN. IIII.

IN *illo tempore:* Erat *quidam regulus, cuius filius infirmabatur* Capernaum. Hic *cùm audiſſet, quia* Ieſus *adueniret à* Iudæa *in* Galilæam, *abijt ad eum, & rogabat vt deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori.* Dixit *ergò* Ieſus *ad eum:* Niſi *ſigna & prodigia videritis, non credetis.* Dicit *ad eum* Regulus*:* Domine, *deſcende, priùs quàm moriatur filius meus* Dicit *ei* IESVS*:* Vade, *filius tuus viuit.* Credidit *homo ſermoni, quē dixit ei* IESVS*, & ibat.* Iam *autem eo deſcendēte, ſerui eius occurrerūt ei, & nunciauerūt, dicentes, quia filius eius viueret,*



ret. Interrogabat ergò horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et dixerũt ei: Quia herì hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergò pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit. Et credidit ipſe & domus eius tota.

OFFERTORIVM.

Iob 1. VIr erat in terra nomine Iob, ſimplex & rectus, ac timens Deum, quem ſatan petijt vt tentaret: & data eſt ei poteſtas à Domino in facultate & in carne eius, perdiditque omnem ſubſtantiam ipſius & filios: carnem quoquè eius graui vlcere vulnerauit.

COMMVNIO.

Pſal. 118. IN ſalutari tuo defecit anima mea, & in verbum tuum ſperaui: quandò facies de perſequenti-

quentibus me iudicium? iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me Domine Deus meus.

DOMINICA XXII.
POST TRINITATIS.

AD MISSAM INTROITVS.

SI iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt Deus Iſrael. Pſal. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal.129. Ibid.

COLLECTA.

DEus refugium noſtrum & virtus, adeſto pijs Eccleſię tuæ precibus author ipſe pietatis, & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c. Pſal.45.

EPISTOLA AD PHIL. I.

FRatres: *Confidimus in Domino Ieſu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Sicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & in confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei gaudeo omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodò cupiam vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu, vt probetis potiora, vt ſitis ſynceri, & ſine offenſa in*

diem

diem Chriſti Ieſu, repleti fructu iuſtitiæ, per IESVM *Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.*

GRADVALE.

Pſal.132. ECcè, quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnũ. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam
Ibid. Aaron. Verſ. Mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.
Pſal.147. Alleluia. Verſ. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

EVANGELIVM MATT. XVIII.



IN *illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet*

cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talentorum. Cùm autem non haberet vndè redderet, iuſsit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille inuenit vnum de conſeruis ſuis qui debebat ei centum denarios: & tenens, ſuffocabat eum, dicẽs: Redde quod debes. Et procidẽs conſeruus eius, rogabat eũ, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abijt & miſit eum in carcerem, donèc redderet vniuerſum debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè, & venerunt & narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerunt. Tunc vocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogâſti me. Nónne ergò oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tuî miſertus ſum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadúſquè redderet vniuerſum debitum. Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.

OFFERTORIVM.

Recordare meî Domine omnipotenta tui dominans: da ſermonem rectum in Eſther 14.

os meum, vt placeant verba mea in conſpectu principis.

COMMVNIO.

Luc.15. Dico vobis, gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

DOMINICA XXIII.
POST TRINITATIS.

Introitus Miſſæ, vt Dominica præcedenti: Si iniquitates &c. Similiter & Coll. pag. 301.

EPISTOLA PHIL. III.

FRatres: Imitatores mei eſtote, & obſeruate eos qui ità ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti: quorũ finis interitus, quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: Vndè etiam Saluatorem expectamus Dominum *noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundùm operationem virtutis ſuæ, qua poßit etiam ſubijcere ſibi omnia, Ieſus Chriſtus Dominus noſter.*

GRADVALE.

Pſal.132. ECcè quàm bonum & quàm iocundũ, &c. Vt ſuprà, pag. 302.

EVAN-

EVANGELIVM MATT. XXII.



IN illo tempore: Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent IESVM in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergò nobis, quid tibi videtur: licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem nequitia eorum, IESVS ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESVS: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

OFFERTORIVM.

Eſth. 14. Recordare mei &c. Vt ſup. pag. 303.

COMMVNIO.

Luc. 15. Dico vobis, gaudiũ eſt &c. Vt ſup. pag. 304.

DOMINICA XXIIII.

POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 129. SI iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, &c. Vt Dominica XXII. pag. 301.

COLLECTA.

Pſal. 45. Deus refugium noſtrum &c. Vt ſup. pa. 301.

EPISTOLA COLOSS. I.

FRatres: *Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, vt ambuletis digne* Deo, *per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia* Dei, *in omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate: cum gaudio gratias agentes* Deo *patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum:* Per IESVM *Chriſtũ* Do*minum noſtrum.*

GRA-

GRADVALE.

ECcè, quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres, &c. Vt ſup. pag 302. Pſal.132.

EVANGELIVM MATT. IX.



IN *illo tempore: Loquente* IESV *ad turbas, eccè princeps vnus acceſſit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impo‑ ne manum tuam ſuper eam, & viuet.* E*t ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et eccè, mu‑ lier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimen‑ tum eius, ſalua ero. At* IESVS *conuerſus & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cùm veniſſet*

IESVS *in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat :* Recedite, *non eſt enim mortua puella, ſed dormit: & deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit:* Puella, *ſurge. & ſurrexit puella. & exiit fama hæc in vniuerſam terram.*

OFFERTORIVM.

Eſth.14. Recordare meî Dñe. &c. Vt ſup. pag. 303.

COMMVNIO.

Luc.15. Dico vobis, gaudiũ eſt &c. Vt ſup. pag. 304.

DOMINICA XXV.
ET VLTIMA POST TRINITATIS.

INTROITVS MISSAE.

Iere.29. DIcit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem veſtram de multis locis. Pſal. Benedixi-
Pſal.84. ſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.

COLLECTA.

EXcita Domine, quæſumus, tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propenſiùs exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant: Per &c.

LECTIO HIER. XXIII.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen quo vocabunt eum: Dominus iuſtus noſter. Propter hoc, eccè dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aegypti, ſed: Viuit Dominus, qui eduxit, & adduxit ſemen domûs Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: & habitabunt in terra ſua, dicit Dominus omnipotens.

GRADVALE.

Liberâſti nos Domine de affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudiſti. Verſ. In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in ſecula. Pſal 43.

Alleluia. Verſ. In exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Verſ. Facta eſt Iudęa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Pſal.113.

EVANGELIVM IOH. VI.

Cùm ſubleuâſſet &c. Vt in Quadrageſima, Dominica Lætare.pag.127.

OFFERTOR.

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal.129.

COMMVNIO.

Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Marc.11.

IN DIE SANCTI ANDREAE APOSTOLI.

AD VESPERAS HYMNVS.

ANDREA pie, ſanctorum mitiſſime, obtine noſtris erratibus veniam: & qui grauamur ſarcina peccaminum, ſubleua tuis interceſſionibus.

Annue Chriſte ſeculorum Domine, nobis per huius tibi chari merita, vt qui coram te grauiter deliquimus, huius ſoluamur glorioſis precibus.

Salua redemptor plaſma tuum nobile, ſignatum ſancto vultûs tui lumine: nec lacerari ſinas fraude dæmonum, propter quos mortis exoluiſti precium.

Dole captiuos eſſe tuos famulos, abſolue reos, compeditos erige: & quos cruore redemiſti proprio, rex bone tecum fac gaudere perpetim.

Sit tibi IESV, *benedicte Domine, gloria, virtus, honor & imperium, vnà cum patre ſanctoq; paracleto, cum quibus regnas Deus ante ſecula. Amen.*

COLLECTA.

QVæſumus, omnipotens Deus, vt beatus Andreas Apoſtolus, tuum pro nobis imploret auxiliũ, vt à noſtris reatibus abſoluti, à cunctis etiam periculis eruamur: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 138. MIhi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus

patus eorum. Pſal. Domine, probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meã.

COLLECTA.

MAieſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus, vt ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtol⁹ extitit prędicator & rector, ità apud te ſit ꝓ nobis perpetuus interceſſor. Per.

EPISTOLA ROM. X.

FRatres: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illũ, nõn confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodò ergò inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audièrunt? Quomodò autem audient ſine prædicãte? Quomodò verò prædicabunt niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergò fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico: Nunquid non audiêrunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.

Eſa.28. Iohel 2. Eſa.52. Nah.1. Eſa.53.

GRADVALE.

COnſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domi- Pſal.138.

Ibid. mine. Verſ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi.

Alleluia. Verſ. Dilexit Andream Dominus in odorem ſuauitatis.

SEQVENTIA.

DEus, in tua virtute ſanctus Andreas gaudet, & lætatur eadem comitatus. Piſcatione tui nati ipſe primùm factus piſcator populorum. Myrmidones idololatras diù fluctiuagos rete cepit fidei. Ijs legibus Achaiam tuis Deus victor illius ſubiugauit. Et trophæum Chriſti tui fixit ibì, bonum ſe oſtentans militem. Miraculis, virtutibus, doctrinis, quæcunque quæſita ſpolia, tibi ô rex attulit. Atque ſuo cruore triumphi ſcripſit titulos tui regum Domine. Iſtum crucis ſociū & regni credimus, Chriſti filij tui atque fraterculum. Nos igitur peccatis noſtris grauati, te Deus poſcimus, Vt illius qui tua ſemper ſectatus præcepta, tibi placet, Nos interceſſione tuearis in æternum.

EVANGELIVM MATT. IIII.

IN illo tempore: Ambulans IESVS *iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens indè, vidit alios duo fratres, Iacobum*



cobum Zebedæi, & Iohannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.

OFFERTORIVM.

MIhi autem nimìs honorificati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum. Pſal.138.

COMMVNIO.

VEnite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum: at illi relictis retibus & naui, ſecuti ſunt Dominum. Matt.4.

Antiphon. ſup. Magnific.

DVm perueniſſet B. Andreas ad locum, vbi crux parata erat, exclamauit & dixit: O bona crux, diù deſiderata, & iam concu-

 piſcenti

piſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te: ità & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te.

COLLECTA.

Maieſtatem tuam &c. vt ſup. pag. 311.

IN FESTO S. NICOLAI.

AD VESPERAS HYMNVS.

Iste confeſſor Domini ſacratus,
(Feſta plebs cuius celebrat per orbem)
Hodiè lætus meruit ſecreta
Scandere cæli.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit & quietus,
Vita dum præſens vegetauit eius
Corporis artus.
Ad ſacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modò ſanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Reſtituuntur.
Vndè nunc noſter chorus in honore
Ipſius, hymnum canit hunc libenter,
Vt pijs eius meritis iuuemur
Omne per æuum.
Sit ſalus illi, decus atque virtus,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat,
Trinus & vnus. Amen.

IN

INTROITVS MISSAE.

STatuit ei Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum, vt ſit illi ſacerdotij dignitas in æternum. Pſal. Miſericordias Domini in æternum cantabo. Eccl.45. Pſal.88.

COLLECTA.

DEus, qui beatum Nicolaum pium pontificem tuum innumeris decorâſti miraculis, tribue nobis, vt eius meritis & precibus à gehennę ignis incendijs liberemur. Per Dominum. &c.

EPSTOLA ECCL. XLIIII. ET XLV.

ECcè ſacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. Ideò iureiurando fecit illum Dominus creſcere in plebē ſuam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput Iacob. Cognouit eum in benedictionibus ſuis, conſeruauit illi miſericordiam ſuam, & inuenit gratiam coram oculis Domini. Magnificauit eum in conſpectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi teſtamentum ſempiternum, & dedit illi ſacerdotium magnum, & beatificauit illum in gloria: fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, & offerre illi incenſum dignum in odorem ſuauitatis.

GRADVALE.

Iura-

Pſal.109. IVrauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.
Ibid. Verſ. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.

Alleluia. Verſ. Iſte eſt, qui ante Deum multas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt.

SEQVENTIA.

COngaudentes exultemus vocali concordia, Ad beati Nicolai feſtiua ſolennia. Qui in cunis adhuc iacens ſeruādo ieiunia, Ad papillas cœpit ſumma ꝓmereri gaudia. Adoleſcens amplexatur literarum ſtudia, Alienus & immunis ab omni laſciuia. Felix confeſſor, cuius fuit dignitatis vox de cælo nuncia. Per quam prouectus, præſulatûs ſublimatur ad ſumma faſtigia. Erat in eius animo pietas eximia, & oppreſſis impendebat multa beneficia. Auro per eum virginum tollitur infamia, atque patris earundem leuatur inopia. Quidam nautæ nauigantes, & contra fluctuum ſæuitiam luctantes, naui penè diſſoluta, Iam de vita deſperantes, in tanto poſiti periculo, clamantes voce dicunt omnes vna: O beate Nicolae, nos ad portum maris trahe de mortis anguſtia. Trahe nos ad portum maris tu, qui tot auxiliaris pietatis gratia. Dum clamarent nec incaſsùm, eccè quidam dicens, aſſum ad veſtra præſidia: Statìm aura datur grata, & tempeſtas fit ſedata, quieuerunt maria. Ex ipſius tumba manat vncti-

onis copia, Quę infirmos omnes ſanat per eius ſuffragia. Nos qui ſumus in hoc mundo, vitiorum in profundo iam paſſi naufragia, Glorioſe Nicolae, ad ſalutis portum trahe, vbi pax & gloria. Ipſam nobis vnctionem impetres à Dño precepia, Qua ſanauit læſionẽ multorum peccaminum in Maria. Huius feſtum celebrantes, gaudeant per ſecula, Et coronet eos Chriſtus poſt vitæ curricula. Amen.

EVANGELIVM MATT. XXV.

IN *illo tempore, dixit* IESVS *diſcipulis ſuis parabolam hanc:* Homo *quidam peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Et *vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutem: & profectus eſt ſtatim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui autem vnum acceperat: abiens, fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.* Poſt *multum verò temporis venit dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* Et *accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens:* Domine, *quinque talenta tradidiſti mihi, eccè alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi dominus eius: Eugè ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta*

lenta acceperat, & ait: Domine, *duo talenta tradidiſti mihi, eccè alia duo ſuperlucratus ſum.* Ait illi *dominus eius:* Eugè *ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium* Domini *tui.* Accedens *autem & qui vnum talentum acceperat, ait:* Domine, *ſcio quia homo durus es, metis vbi non ſeminâſti, & congregas vbi non ſparſiſti, & timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra: eccè habes quod tuum eſt.* Reſpondens *autẽ dominus eius, dixit ei:* Serue *male & piger, ſciebas quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi: oportuit ergò te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepiſſem vtiquè, quod meum eſt, cum vſura.* Tollite *itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Et *inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 88. VEritas mea & miſericordia mea cũ ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

COMMVNIO.

Matt. 25. DOmine, quinque talenta tradidiſti mihi, eccè alia quinque ſuperlucratus ſum: eugè ſerue fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

IN

IN FESTO CONCEPTIONIS MARIAE.

AD PRIMAS VESPERAS, HYMNVS.

AVe maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ,
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te precem,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes IESVM,
Semper collætemur.

COLLECTA.

DEus, qui beatę Mariæ ſemper virginis cōceptionem angelico vaticinio antiquis parentibus prædixiſti: præſta huic familię tuę eiuſdem præſidijs muniri, cuius conceptionis ſacra ſolennia congrua deuotione frequentat: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius conceptione gaudent angeli, &
Pſal. 44. collaudant filium Dei. Pſalm. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Gloria patri &c.

COLLECTA.

DEus ineffabilis miſericordiæ, qui primæ piacula mulieris per virginem expianda ſanxiſti: da, quæſumus, conceptionis eius nos dignè ſolennia venerari, quæ vnigenitum tuum virgo concepit, & virgo peperit Dominum noſtrum &c.

LECTIO PROVERBIOR. VIII.

D*Ominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quicquàm faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdùm fontes aquarum eruperant. Necdùm montes graui mole conſtiterant, ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina,*

mina, & cardines orbis terræ. Quandò præparabat cælos, aderam: quandò certa lege & gyro vallabat abyſſos: quandò æthera firmabat ſursùm, & librabat fontes aquarum, quandò circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, nè tranſirent fines ſuos: quandò appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum. Nunc ergò filij audite me: Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.

GRADVALE.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Verſ. Propter veritatem & mãſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Psal. 44.

Alleluia. Conceptio glorioſæ virginis Mariæ ex ſemine Abrahę, orta de tribu Iuda, ex regia ſtirpe Dauid.

SEQVENTIA.

STirpe Maria regia procreata, regem generans IESVM, Laude digna angelorum ſanctorum: Et nos peccatores tibi deuotos intuere benigna. Tu pios patrum mores

oſtentas in te, ſed excellis eoſdem: Patris tuî Salomonis in te lucet ſophia, Et Ezechiæ apud Deum cor rectum, ſed nunquàm in te corrumpendum. Patris Ioſiæ adimpleuit te religioſitas. Summi etiam Patriarchæ te fides totam poſſedit patris tui. Sed quid nos iſtos recenſemus heroas, Cùm tuus natus omnes prǽcellat illos, atque cunctos per orbem? Nos hac die tibi gregatos ſerua virgo in lucem mundi, qua prodîſti paritura cęlorum lumen.

EVANGELIVM MATT. I.

Liber generationis IESV CHRISTI *filij Dauid, filij Abraham. Abraham autem genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon. Naaſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Boos de Rachab. Boos autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autē genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Aza. Aza autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioras autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan, Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit*

Ezes

Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Ieconiam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Ieconias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Zadoch. Zadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ da qua natus eſt IESVS, *qui vocatur* Chriſtus.

OFFERTORIVM.

AVe Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Luc. 1.

COMMVNIO.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Pſal. 44.

IN FESTO S. THOMÆ.

IN PRIMIS VESP. HYMNVS.

Exultet cælum laudibus vt ſup. pag. 60.

INTROITVS MISSAE.

MIhi autē nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. Domine probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam. Pſal. 38.

COLLECTA.

DA nobis, quęſumus Domine, beati Thomæ Apoſtoli tui ſolennitatibus gloriari, vt eius ſemper & patrocinijs ſubleuemur, & fidem congrua deuotione ſectemur. Per &c.

EPISTOLA EPHE. II.

Fratres: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide* IESV CHRISTO: *in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in* Domino, *in quo & vos coædificabimini in habitaculum* Dei, *in ſpiritu ſancto.*

GRADVALE.

Pſal. 138. NImis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Verſ. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.

Act. 5. Alleluia. Verſ. Per manus autem Apoſtolorũ fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.

EVANGELIVM IOH. XX.

IN illo tempore: Thomas vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, *non erat cum eis quando venit* IESVS. *Dixerunt ergo ei alij diſcipuli:* Vidimus Dominum. *Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manũ meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius*

eius intus, & Thomas cum illis. Venit IESVS *ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei* IESVS: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

OFFERTORIVM.

IN omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. 18.

COMMVNIO.

MItte manum tuam, & cognoſce loca clauorum, Alleluia: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, Alleluia, allel. Iohã. 20.

DE S. FABIANO.

COLLECTA.

INfirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis nos grauat, beati Fabiani martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum.

DE S. SEBASTIANO.

DEus, qui beatum Sebaſtianum martyrem tuum virtute conſtantię in paſſione roboraſti: ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Per Dominum.

IN FESTO S. AGNETIS.

HYMNVS.

IESV *corona virginum,*
Quem mater illa concipit,
Quæ ſola virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.
Qui paſcis inter lilia,
Septis choreis virginum,
Sponſus decorus gloriæ,
Sponſisq; reddens præmia.
Quocunquè pergis, virgines,
Sequuntur, atque laudibus
Poſt te canentes curſitant,
Hymnosq; dulces perſonant.
Te deprecamur largiùs
Noſtris adauge ſenſibus,
Neſcire prorsùs omnia
Corruptionis vulnera.
Deo patri ſit gloria,
Eiusq; ſoli filio,
Cum ſpiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.118. ME expectauerunt peccatores vt perderent me, teſtimonia tua Domine intellexi: omnis conſummationis vidi finem, latum
Ibid. mandatum tuum nimìs. Pſal. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COL

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Agnetis martyris tuæ ſolennia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus: Per &c. 1. Cor. 1.

LECTIO ECCL. LI.

COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberâſti corpus meum à perditione, & à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium. Et in conſpectu adſtantium factus es mihi adiutor, & liberâſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui. A rugientibus, præparatis ad eſcam: de manibus perſequentium animam meã, & de multis tribulationibus, quæ circũdederunt me. A preſſura flammæ, quæ circundedit me, & in medio ignis non ſum æſtuata. A multitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniuſta. Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorsùm. Circundederunt me vndiquè, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium meum: & non erat. Memorata ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ, quæ à ſeculo

tulo ſunt: quoniam erigis ſuſtinentes te, & liberas eos de manu anguſtiæ, Domine Deus noſter.

GRADVALE.

Pſal.44. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Verſ. Propter veritatem & mãſuetudinem & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Ibid. Alleluia. Verſ. Specie tua & pulchritudine tua intende proſperè, procede & regna.

SEQVENTIA.

Laus ſit regi gloriæ, cuius formam gratiæ, ſolis ſplendor obſtupeſcit. In hortos Eccleſiæ lilia colligere, tanquàm ſponſus dum proceſſit. Eccè Hagnes inuenitur, & inuenta colligitur, lilium de lilio. Annulo cuius munitur, & in ſponſam eligitur regi regis filio. Cuius feruens in amore, mundum ſpernit cum decore, nec blandimentis nec tormentis emollita iudicis. Cumque mentis in feruore, ſponſum quærit ſponſæ more, ſpoliata veſtimentis, denſis latet capillis. Tunc inducta lupanari, cella fulget vt ſolari ſplendore lucis copia. Ab angelo cõfortari meruit, atque velari cyclade auro contexta. Illic virgo nè tangatur, impudicus ſuffocatur: pro quo Hagnes dum precatur, reuiuiſcit iuuenis. Per quem Chriſtus dum laudatur, plebs hinc furens indignatur, Hagnen magam proteſtatur, tradens hanc incendijs. Sed ignis obſtupens cedit, nec Hagnen nec lanam lædit, eius oris

oris & pudoris non ferens potentiam. Cuius guttur enſis cędit, mortiq́ue vita ſuccedit, eccè videt quod cupiuit, per ſponſi præſentiã. Poſtquàm ergò ſic triumphat, virgo martyr gaudens intrat ſui ſponſi thalamum. Apud quem nunc intercedat, vt cæli nobis concedat intrare palatium: Amen.

EVANGELIVM. MATT. XXV.

IN illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exiêrunt obuiàm ſponſo & ſponſæ. Quinque autẽ ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum. Prudentes verò acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormiêrunt. Media autem nocte clamor factus eſt:* Eccè *ſponſus venit, exite obuiàm ei.* Tunc *ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.* Fatuæ *autem ſapientibus dixerunt:* Date *nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* R*eſponderunt prudentes, dicentes :* Nè *fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Dum *autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* No*uiſſimè verò venerunt & reliquæ virgines, dicentes :* Do*mine Domine, aperi nobis.* At *ille reſpondens, ait:*

Amen dico vobis, Neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.

OFFERTORIVM.

Pſal.44. OFferentur regi virgines, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Domino.

COMMVNIO.

Matt.25. QVinque prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus eſt, Eccè ſponſus venit, exite obuiàm Chriſto Domino,

In Veſperis Antiphon. ſuper Magnificat.

BEata Agnes in medio flammarum expanſis manibus orabat: Te deprecamur venerande, colende, pater metuende, quia per ſanctum filium tuũ minas euaſi ſacrilegi tyranni, & carnis ſpurcitias imaculato calle tranſiui, & eccè venio ad te, quem amaui, quem quæſiui, quem ſemper optaui.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

Exultet cælum laudibus. vt ſup. pag. 60.

INTROITVS MISSAE.

2.Tim.1. SCio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum

Pſal.138. diem. Pſal. Domine probâſti me & cognouiſti

uiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam.

COLLECTA.

DEus, qui vniuerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prędicatione docuiſti, da nobis, quæſumus, vt cuius hodiè conuerſionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur: Per Dominum &c.

LECTIO ACTVVM APOST. IX.

IN *diebus illis: Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos* Domini, *acceßit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in* Damaſcum *ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in* Hieruſalem. Et *cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret* Damaſco. Et *ſubitò circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram, audiuit vocem, dicentem ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es* Domine? *Ait illi:* Ego *ſum* IESVS Naz*arenus, quem tu perſequeris:* Durum *eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Et *tremens ac ſtupens, dixit:* Domine, *quid me vis facere?* Et Domin*us ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibì dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Viri *autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſq; oculis nihil videbat.* Ad *manus autem illum trahentes,*

tes, introduxerunt Damaſcum. Et *erat ibì tribus die-bus non videns, & non manducauit, neq; bibit.* Erat *autem quidam diſcipulus* Damaſci, *nomine* Ananias, *& dixit ad illum in viſu* Dominus: *Anania. At ille ait:* Eccè *ego* Domine. Et *Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur* Rectus, *& quære in domo* Iudæ *Saulum nomine* Tarſenſem: *eccè enim orat.* Et *vidit virum* Ananiam *nomine, introeuntē, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat.* Reſpondit *autem* Ananias: Domine, *audiui à multis de viro hoc, quanta mala ſanctis tuis fecerit in* Hieruſalem. Et *hìc habet poteſtatem à principibus ſacerdotum alli-gandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Dixit *autem ad eum* Dominus: Vade, *quoniam vas electionis mi-hi eſt iſte; vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus & filijs* Iſrael. *Ego enim oſtendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Et *abijt* Ananias, *& introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater,* Dominus IESVS *miſit me, qui apparuit tibi in via quā veniebas, vt videas, & implearis* Spirituſancto. Et *confeſtìm ceciderunt ab ocu-lis eius tanquàm ſquamæ, & viſum recepit.* Et *ſur-gens baptizatus eſt.* Et *cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt.* Fuit *autem cum diſcipulis qui erant* Da-maſci, *per dies aliquot.* Et *continuò ingreſſus in* Synagogas, *prædicabat* IESVM, *quoniam hic eſt filius* Dei. Stupebant *autem omnes, qui audiebant eum,*

&

& dicebant: Nónne hic eſt, qui expugnabat in Hieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud? Et huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum? Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.

GRADVALE.

QVi operatus eſt Petro in Apoſtolatũ circuncisiõis, operatus eſt & mihi inter gentes, & cognouerunt gratiam Dei quæ data eſt mihi. Verſ. Gratia Dei in me vacua non fuit: ſed gratia eius ſemper in me manet. Gal.2. 1. Cor.15.

Alleluia. Verſ. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole, gentium doctor, pro omnibus nobis ora ad Deum, qui te elegit.

SEQVENTIA.

DIxit Dominus ex Baſan, conuertam conuertam in profundum maris. Quod dixit & fecit, Saulum vt ſtrauit, Paulum & ſtatuit, Per verbum ſuum incarnatum, per quod fecit & ſecula. Quod dum impugnat, audiuit, Saule Saule, quid me perſequeris? Ego ſum IESVS, durum eſt tibi vt recalcitres ſtimulo. A facie Domini mota eſt terra, contremuitque mox & quieuit. Dum cognito credidit Domino, Paulus perſequi ceſſat Chriſtianos. Hinc lingua tuorum eſt canum, ex inimicis rediens ad te Deus. Dum Paulus in ore omnium ſacerdotum iura dat pręceptorum,

Do-

Docens crucifixum non eſſe alium præter Chriſtū Deū, Cum patre qui regnat & ſancto Spiritu, cuius teſtis Paulus. Hinc lingua ſacerdotum more canis dum perlinxit, legis & Euangelij duos molares in his contriuit. Corroſit vniuerſas ſpecies medicinarum, quibus curantur ſaucij, reficiuntur enutriendi. Quo docente Deum, mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorsùm. Quia turba gentium relicto vitiorum profundo, Og rege Baſan confuſo, Te ſolum adorat Chriſtum creatorē, quem & cognoſcit in carne veniſſe redemptorem.

EVANGELIVM MATT. XIX.

In illo tempore: Reſpondens Petrus, dixit ad IESVM: *Eccè nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis?* IESVS *autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit. Multi autem erunt primi, nouißimi, & nouißimi primi.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 138. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

COMMVNIO.

AMen dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me: centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Matt.19.

IN FESTO PVRIFICATIONIS.

In primis Veſperis Hymnus.

A ſolis ortûs cardine, &c. Vt *ſuprà, in feſto Natiuitatis.* *pag.* 37.

COLLECTA.

ERudi, quæſumus Domine, plebem tuam, & quæ extrinſecùs annua tribuis deuotione venerari, intùs aſſequi gratiæ tuæ lucem concede. Per &c.

INTROITVS MISSAE.

SVſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Secundùm nomen tuum Deus, ità & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua. Pſal. Magnus Dominus & laudabilis nimìs in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Pſal.47. Ibid.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus, vt ſicut vnigenitus filius tuus Dominus noſter, hodierna die cum noſtrę carnis ſubſtantia in templo eſt prętentatus, ità nos facias purificatis tibi mentibus præſentari: Per eundem &c.

LECTIO MALACH. PROPH. III.

Hæc

HAec dicit Dominus Deus: Eccè ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Eccè venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentûs eius? & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentũ, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.

GRADVALE.

Pſal.47. SVſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundùm nomen tuum Domine, ità & laus tua in fines terræ. Verſ. Sicut audiuimus, ità & vidimus in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

Mala.3. Alleluia. Verſ. Eccè venit ad templum ſanctum tuum dominator Dominus: Venite, occurramus Domino Deo noſtro.

SEQVENTIA.

COncentu parili hic te Maria veneratur populus, teque pijs colit cordibus. Generoſi Abrahæ tu filia veneranda, regia de Dauidis ſtirpe genita. Sanctiſſima corpore, caſtiſſima, moribuſque omniũ pulcherrima vir-

virgo virginum. Lætare mater & virgo nobilis, Gabrielis archangelico quæ oraculo credula, genuiſti clauſa filium. In cuius ſacratiſſimo ſanguine emundatur vniuerſitas perditiſſimi generis, vt promiſit Deus Abrahę. Te virga arida Aaron flore ſpecioſa præfigurat Maria, ſine viri ſemine nato floridā: Tu porta iugiter ſerata, quam Ezechielis vox teſtatur, Maria ſoli Deo peruia eſſe crederis. Sed tu tamen matris virtutum dum nobis exemplum cupiſti commendare, ſubîſti remedium, pollutis ſtatutum matribus. Ad templum detuliſti tecum mandatū, qui tibi integritatis decus Deus homo genitus adauxit intacta genitrix. Lætare quam ſcrutator cordis ac renū probat proprio habitu ſingulariter dignam, ſancta Maria. Exulta cui paruulus arriſit tunc Maria, qui lætari omnibus & conſiſtere ſuo nutū tribuit. Ergò quique colimus feſta paruuli Chriſti propter nos facti, eiusq; piæ matris Mariæ: Si non Dei poſſumus tantam exequi humilitatem, forma ſit nobis eius genitrix. Laus patri gloriæ, qui ſuum filium gentibus & populis reuelans, Iſrael nos ſociat. Laus eius filio, qui ſuo ſanguine nos patri reconcilians, ſupernis ſociauit ciuibus. Laus quoquè Sanctoſpiritui ſit per æuum.

EVANGELIVM LVC. II.

IN illo tempore: Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moiſi, tulerunt illum in



Hieruſalem,vt ſiſterent eum Domino,*ſicut ſcriptũ eſt in lege* Domini: *Quia omne maſculinum adaperiens vuluam,ſanctũ* Domino *vocabitur.* Et *vt darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege* Domini,*par turturum, aut duos pullos columbarum.* Et *eccè homo erat in* Hieruſalem,*cui nomen Simeon.*Et *homo iſte iuſtus & timoratus,expectans conſolationem* Iſrael,*&* Spirituſſanctus *erat in eo.* Et *reſponſum acceperat Simeon à* Spirituſancto, *non viſurum ſe mortem , niſi priùs videret* Chriſtum Domini. Et *venit in ſpiritu in templum.* Et *cùm induceret puerum* IESVM *parentes eius,vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo:& ipſe accepit eum in vlnas ſuas,& benedixit* Deum,*& dixit:* Nunc *dimittis ſeruum tuum* Domine *ſecundùm*

eundùm verbum tuum in pace: quia viderũt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciẽ omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ.

OFFERTORIVM.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Pſal. 44.

COMMVNIO.

REſponſum accepit Simeon à Spirituſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Luc. 2.

IN CATHEDRA PETRI.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

Exultet cælum laudibus, &c. Vt *ſuprà pag.* 60.

AD MISSAM INTROITVS.

STatuit ei Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eũ, vt ſit illi ſacerdotij dignitas in æternum. Pſalm. Miſericordias Domini in æternum cantabo. Eccl. 45 Pſal. 88.

COLLECTA.

DEus, qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cæleſtis ligandi atque ſoluendi pontificium tradidiſti: concede, vt interceſſionis eius auxilio à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur: Per &c.

EPISTOLA I. PET. I.

P*Etrus Apoſtolus* IESV *Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ,*

& Bithyniæ, ſecundùm præſcientiam Dei *patris, in ſanctificationem ſpiritûs, in obedientiam & adſperſionem ſanguinis* Ieſu *Chriſti.* Gratia *vobis, & pax multiplicetur.* Benedictus *Deus & pater Domini noſtri* Ieſu *Chriſti, qui ſecundùm magnam miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuã, per reſurrectionem* Ieſu *Chriſti, ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilẽ, conſeruatam in cælis, in vobis qui in virtute* Dei *cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam reuelari in tempore nouiſſimo, in quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus, vt probatio veſtræ fidei, multo precioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & honorem, in reuelationem* Ieſu *Chriſti.*

GRADVALE.

Pſal. 109 IVrauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Verſ. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.

EVANGELIVM MATT. VI.

IN *illo tempore:* Venit IESVS *in partes* Cæſareæ Philippi, *& interrogauit diſcipulos ſuos, dicẽs:* Quẽ *me dicunt homines eſſe filium hominis?* At *illi dixerũt:* Alij Iohannem Baptiſtam, *alij autem* Heliam, *alij verò* Hieremiam, *aut vnum ex prophetis.* Dicit *illis* Ieſus*: Vos autem quẽ me eſſe dicitis?* Reſpondens Simon

Petrus,

Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Reſpōdens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Barlona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

OFFERTORIVM.

VEritas mea & miſericordia mea cū ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Pſal. 88.

COMMVNIO.

TV es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matt. 16.

IN FESTO S. MATTHIAE.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

Exultet cælum laudibus, &c. vt ſup. pag. 60.

COLLECTA.

DEus, qui beatum Matthiam Apoſtolorū tuorum collegio ſociâſti: tribue, quæſumus, vt eius interuentione tuæ circa nos pietatis ſemper viſcera ſentiamus: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Mihi autem nimìs &c. Vt ſuprà, pag. 310.

Collecta, vt ſuprà iam dicta.

EPISTOLA ACTVVM I.

IN *diebus illis:* Exurgens Petrus *in medio fratrum, dixit:* (Erat *autem hominum turba ſimul ferè centum viginti)* Viri *fratres, oportet impleri ſcripturã, quam prædixit* Spiritusſanctus *per os* Dauid *de* Iuda, *qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt* Ieſum, *qui connumeratus fuerat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius.* Et *hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius, & notũ factũ eſt omnibus habitantibus in* Hieruſalem, *ità vt appellaretur ager ille lingua eorum* Acheldemach, *hoc eſt, ager ſanguinis.* Scriptum *eſt enim in libro* Pſalmorum: Fiat *habitatio eorum deſerta, & nõ ſit qui inhabitet in ea, & epiſcopatum eius accipiat alter.* Oportet *ergò ex iſtis viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos* Dominus Ieſus, *incipiens à baptiſmate* Iohannis *vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis: & ſtatuerunt duos,* Ioſeph, *qui vocatur* Barſabas, *qui cognominatus eſt* Iuſtus, & Matthiam. Et *orantes dixerunt:* Tu Domine, *qui corda nôſti omnium, oſtende quẽ elegeris, ex his duobus vnũ accipere locum miniſterij huius &* Apoſtolatûs, *de quo præuaricatus eſt* Iudas, *vt abiret in locum ſuum.* Et *dederunt eis ſortes: & cecidit ſors ſuper* Matthiã, *& annu-*

Pſal. 68. & 108.

annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.

GRADVALE.

Nimìs honorati &c. Vt ſuprà. pag. 324.

TRACTVS.

BEatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimìs. Verſ. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Verſ. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Pſal. 111.

EVANGELIVM MATTH. X.

IN illo tēpore: Miſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, præcipiens eis, & dicens: In viam gentium nè abieritis, & in ciuitates Samaritanorum nè intraueritis: ſed potiùs ite ad oues quæ perièrunt, domûs Iſrael. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquabit regnū cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite. Gratìs accepiſtis, gratìs date.

OFFERTORIVM.

IN omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. 18.

COMMVNIO.

VOs qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicātes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus. Matt. 19.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS B. MARIAE.

IN PRIMIS VESPERIS.

HYMNVS.

FIt porta Chriſti peruia,
Referta plena gratia,
Tranſitq; rex, & permanet
Clauſa (vt fuit) per ſecula.
Genus ſuperni luminis
Proceſſit aula virginis,
Sponſus, redemptor, conditor,
Suæ gigas Eccleſiæ.
Honor matris & gaudium,
Immenſa ſpes credentium,
Per atra mortis pocula
Reſoluit noſtra crimina.

INTROITVS MISSAE.

Eſa. 45. ROrate cęli deſupèr, & nubes pluant iuſtũ: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.

Pſal. 18. Pſal. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Gloria patri &c.

COLLECTA.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum, angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui verè eam Dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur: Per eundem Dominum &c.

LECTIO ESAIAE VII.

IN *diebus illis:* Locutus *eſt* Dominus *ad* Achaz, *dicens:*Pete *tibi ſignum à* Domino Deo *tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà.* Et *dixit* Achaz: Non *petam, & non tentabo* Dominum Et *dixit:* Audite *ergò domus* Dauid: Nunquid *parùm vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis &* Deo *meo?* Propter *hoc dabit* Dominus *ipſe vobis ſignum.* Eccè *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius* Emanuel. Butyrum *& mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.*

GRADVALE.

TOllite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Verſ. Quis aſſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus & mundo corde. Pſal. 23.

TRACTVS.

AVe Maria gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1. Verſ. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. Verſ. Eccè concipies & paries filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Eſa. 7. Verſ. Quomodò, inquit, fiet iſtud, Luc. 1. quia virum non cognoſco? & reſpondens angelus, dixit ei: Verſ. Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Verſ. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

EVANGELIVM LVCAE I.



IN *illo tempore:* Miſſus *eſt angelus* Gabriel *à* Deo *in ciuitatem* Galilææ *,cui nomen* Nazareth*,ad virginem deſponſatam viro,cui nomen erat* Ioſeph*,de domo* Dauid*,& nomen* Virginis Maria. Et *ingreſſus angelus ad eam,dixit:* Aue *gratia plena,* Dominus *tecum.* Benedicta *tu in mulieribus.* Quæ *cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Et *ait angelus ei:* Nè *timeas* Maria: Inueniſti *enim gratiam apud* Deum: Eccè *concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* Ieſum. Hic *erit magnus,& filius* Altiſsimi *vocabitur.* Et *dabit illi* Dominus Deus *ſedem* Dauid *patris eius,& regnabit in domo* Iacob *in æternum, & regni eius non erit finis.* Dixit *autem* Maria *ad angelum:* Quomodò *fiet*

iſtud,

iſtud, quoniam virũ non cognoſco? Et reſpondens angelus, dixit ei: Spirituſſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; *& quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius* Dei. *Et ecce* Eliſabeth *cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis, quia non erit impoſsibile apud* Deum *omne verbum. Dixit autem* Maria: *Ecce ancilla* Domini, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa angelus.*

OFFERTORIVM.

Aue Maria gratia &c. Vt ſuprà. pag. 323. Luc. 1.

COMMVNIO.

ECcè virgo cõcipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Eſa. 7.

Antiph. ſuper Mag. in ſecundis Veſperis.

HAcc eſt dies quam fecit Dominus: hodiè Dominus afflictionẽ populi ſui reſpexit, & redemptionem miſit: hodiè mortem quam fœmina intulit, fœmina fugauit: hodiè Deus homo factus, id quod fuit, permanſit: & quod non erat, aſſumpſit: ergò exordium noſtrę redemptionis deuotè recolamus, & exultemus, dicentes: Gloria tibi Domine. Pſal. 117.

IN FESTO S. PHILIPPI ET IACOBI.

IN PRIMIS VESPERIS HYMNVS.

Vita

Vita ſanctorum, decus Angelorum,
Vita cunctorum pariter piorum,
Chriſte qui mortis moriens miniſtrum
Exuperâſti.
Tu tuo lætos famulos trophæo
Nunc in his ſerua placitis diebus,
In quibus ſanctum celebratur omnem
Paſcha per orbem.
Paſcha, quo victor rediens ab imo,
Atque cum multis alijs reſurgens,
Ipſe ſuſceptam ſuper alta carnem
Aſtra leuâſti.
Nunc in excelſis Dominus refulgens,
Et ſupra cælos Deus eleuatus,
Indè venturus, homo iudicatus,
Denuò iudex.
Corda tu ſurſum modò noſtra tolle,
Quo patri dexter reſidens in alto,
Ne reſurgentes facias in ima
Præcipitari.
Hoc pater tecum, hoc idem ſacratus
Præſtet amborum pie Chriſte flatus,
Cum quibus regnas Deus vnus omni
Iugiter æuo. Amen.

AD MISSAM INTROITVS.

Pſal. 33. & 106. EXclamauerunt ad te Domine in tempore afflictionis ſuæ, & tu de cęlo exaudîſti eos, Alle-

Alleluia, Alleluia. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Pſal.32.

COLLECTA.

DEus, qui nos annua Apoſtolorum tuorũ Philippi & Iacobi ſolennitate lætificas: pra ſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis: Per &c.

LECTIO SAPIENTIAE V.

STabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores illorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes & præ anguſtia ſpiritûs gementes: Hi ſunt quos aliquandò habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?

ALLELVIA.

GAudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Pſal.32.

EVANGELIVM IOHAN. XIIII.

IN illo tẽpore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Nõ turbetur cor veſtrum. Creditis in* Deum, *& in me credite. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterùm veniam, & accipiam vos ad meipſum: vt vbi ego ſum,*

& vos ſitis. Et quò ego vado, vos ſcitis, & viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis, & quomodò poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum vtiquè cognouiſſetis. Et amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodò tu dicis: Oſtẽde nobis patrẽ? Non credis, quia ego in patre, & pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me eſt? Alioquin propter ipſa opera credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem vado. Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio.

OFFERTORIVM.

Pſal. 88. CONfitebũtur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum, Alleluia, Alleluia.

INVENTIO S. CRVCIS.

IN VESPERIS HYMNVS.

Vexilla Regis prodeunt &c. vt ſuprà pag. 29.

AD

AD MATVTINVM.

Pange lingua glorioſi prælium certaminis. vt ſuprà. pag. 230.

INTROITVS MISSAE.

NOs autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati & liberati ſumus. Verſ. Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtrî. Gal. 6. Pſal. 66.

COLLECTA.

DEus, qui in præclara ſalutiferæ crucis inuentione hodierna die paſſionis tuę miracula ſuſcitâſti: concede vt vitalis ligni precio, æternæ vitæ ſuffragia conſequamur: Qui viuis & regnas &c.

EPISTOLA GAL. V. & VI.

FRatres: Confido de vobis in Domino, quòd nil aliud ſapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque ille eſt. Ego autem fratres ſi circunciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergò euacuatum eſt ſcandalum crucis? Vtinàm & abſcindantur, qui vos conturbant. Quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis CHRISTI *perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circuncidi, vt in carne veſtra glorientur. Mihi autem abſit gloriari, niſi in*

cruce

cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mun-dus crucifixus eſt, & ego mundo.

Alleluia. Verſ. Dulce lignum, dulces claūos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regem cælorum & Dominum.

EVANGELIVM IOHAN. III.

IN illo tempore: *Erat homo ex phariſæis* Nicodemus *nomine, &c. Vt ſuprà, pag.* 232.

OFFERTORIVM.

PRotege Domine plebem tuam per ſignum ſanctę crucis ab omnibus inſidijs inimicorum omnium, vt tibi gratam exhibeamus ſer-
Dan.3. uitutem, & acceptabile fiat ſacrificium noſtrum, Alleluia.

COMMVNIO.

NOs autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, Alleluia.

IN FESTO S. IOHANNIS BAPTISTAE.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

VT queant laxis reſonare fibris
Mira geſtorum famuli tuorum,
Solue polluti labij reatum
Sancte Iohannes.
Nuncius celſo veniens Olympo,
Te patri magnum fore naſciturum,

Nomen & vitæ ſeriem gerendæ,
Ordine promit.
Ille promiſsi dubius ſuperni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ,
Sed reformâſti genitus peremptæ
Organa vocis.
Ventris abſtruſo poſitus cubili,
Senſeras regem thalamo manentem,
Hinc parens nati meritis vterque
Abdita pandit.
Antra deſerti teneris ſub annis,
Ciuium turmas fugiens, petiſti,
Nè leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.
Præbuit hirtum tegimen camelus,
Artubus ſacris ſtrophium bidentes,
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.
Cæteri tantùm cecinêre Vatum
Corde præſago iubar adfuturum,
Tu quidem mundi ſcelus auferentem
Indice prodis.
Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quiſquam genitus Iohanne,
Qui nefas ſecli meruit lauantem
Tingere limphis.
O nimis felix meritiq; celſi,

Neſciens labem niuei pudoris,
Præpotens martyr eremiq́; cultor
Maxime Vatum.

Serta tèr denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quoſdam,
Trina centeno cumulata fructu
Te ſacer ornant.

Nunc potens noſtri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Aſperum planans iter, & reflexos
Dirige calles.

Vt pius mundi ſator & redemptor,
Mentibus pulſa luuione puris,
Ritè dignetur veniens ſacratos
Ponere greſſus.

Laudibus ciues celebrant ſuperni
Te Deus ſimplex pariterq́; trine,
Supplices & nos veniam precamur,
Parce redemptis.

Gloriam patri reſonemus omnes,
Et tibi Chriſte genite ſuperne,
Cum quibus ſanctus ſimul & creator
Spiritus regnat. Amen.

COLLECTA.

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus, vt familia tua per viam ſalutis incedat: & beati Iohannis præcurſoris hortamenta ſectando,

do, ad eum quem prædixit, ſecura perueniat, Dominum noſtrum, &c.

INTROITVS MISSAE.

DE ventre matris meæ vocauit me Dominus nomine meo, & poſuit os meum vt gladium acutum: ſub tegumento manûs ſuæ protexit me, & poſuit me quaſi ſagittam electam. Pſal. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Eſa. 49. Pſal. 91.

COLLECTA.

DEus, qui præſentem diem honorabilem nobis in B. Iohannis Baptiſtæ natiuitate feciſti, da populis tuis ſpiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ: Per &c.

LECTIO ESAIAE XLIX.

HAec dicit Dominus *Deus: Audite Inſulæ, & attendite populi de longè.* Dominus *ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei: & poſuit os meum quaſi gladium acutum. Sub vmbra manûs ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam.* In *pharetra ſua abſcondit me, & dixit mihi: Seruus meus es tu Iſrael, quia in te glorificabor.* Et *ego dixi: In vacuum laboraui: Sine cauſa & vanè fortitudinem meã conſumpſi.* Ergo *iudicium meum cum* Domino, *& opus meum cum* Deo *meo.* Et *nunc hæc dicit* Dominus *formans me ex vtero ſeruum*

ſibi, vt reducam Iacob ad eum: & Iſrael non congre-gabitur, & glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. Et dixit: Parùm eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatā gentem, ad ſeruum dominorum. Reges videbunt & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum Deum tuum, & ſanctus Iſrael, qui te elegit.

GRADVALE.

Hier.1. PRiuſquàm formarem te in vtero, noui te: & antequàm exires de ventre, ſanctificaui te. Verſ. Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit mihi: Alleluia. Verſ.

Ibid.

Mar.1. Erat Iohannes baptizans, & prædicans in deſerto baptiſmum pœnitentiæ.

SEQVENTIA.

SAncti Baptiſtæ Chriſti præconis Solennia celebrantes, moribus ipſum ſequamur. Vt ad vitam quam prædixit, aſſeclas ſuos perducat. Deuoti te ſanctiſſime hominum amice Ieſu Chriſti flagitamus, vt gaudia percipiamus, Apparens quæ Zachariæ Gabriel repromiſit, qui tuam celebrent obſequijs natiuitatem: Vt per hoc feſtum æterna gaudia adipiſcamur, Quo ſancti Dei ſacris delicijs lęti cō-gaudent. Tu qui præparas fidelium corda, nè quid

quid deuium vel lubricum in eis inueniatur, Te depoſcimus, vt crimina noſtra & facinora continua prece ſtudeas abſoluere: Placatus vt ipſe ſuos ſemper inuiſere fideles, Et manſionē in eis facere dignetur, Et agni vellere (quem tuo digito mundi monſtraueras tollere crimina) nos velit induere: Vt ipſum mereamur, angelis aſſocij, In alba veſte ſequi per portam clariſſimam, Amice Chriſti Iohannes.

EVANGELIVM LVC. I.



IN illo tempore: Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus *miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.* Et *factum eſt, in die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabant*

bant eum nomine patris ſui, Zachariã. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquàm, *ſed vocabitur* Iohannes. *Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Innuebant autẽ *patri eius, quem vellet vocari eum.* Et *poſtulãs pugillarem, ſcripſit, dicens:* Iohãnes *eſt nomen eius.* Et *mirati ſunt vniuerſi. Apertum eſt autẽ ilicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens* Deum. Et *factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum.* Et *ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. & poſuerunt omnes qui audierant, in corde ſuo dicẽtes: Quis putas puer iſte erit?* Etenim *manus* Domini *erat cum illo.* Et *Zacharias pater eius repletus eſt Spirituſancto, & prophetauit, dicens:* Benedictus Dominus Deus *Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 91. IVſtus vt palma florebit, ſicut cedrus qui in Libano eſt, multiplicabitur.

COMMVNIO.

Luc. 1. TV puer propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Dñi parare vias eius.

IN FESTO PETRI ET PAVLI.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

AVrea luce & decore roſeo,
Lux lucis omne perfudiſti ſeculum,

Decorans

Decorans cælos inclyto martyrio
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor cæli, doctor orbis pariter,
Iudices ſecli, vera mundi lumina,
Per crucem alter, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum laureati poßident.
Iam bone paſtor Petre, clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Reſolue tibi poteſtate tradita,
Qui cunctis cælum verbo claudis, aperis.
Doctor egregie Paule, mores inſtrue,
Et mente polum nos transferre ſatage,
Donec perfectum largiatur plenius,
Euacuato quod ex parte gerimus.
Oliuæ binæ pietatis vnicæ,
Fide deuotos, ſpe robuſtos maximè,
Fonte repletos charitatis geminæ,
Poſt mortem carnis impetrate viuere.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque iubilatio,
In vnitate cui manet imperium
Ex tunc & modò per æterna ſecula. Amen.

COLLECTA.

DEus, qui nos beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli natalitia glorioſa prçire concedis: tribue, quæſumus, eorum nos ſemper beneficijs præueniri, & orationibus adiuua-

ri: Per Dominum &c.

INTROITVS MISSAE.

Acto.12. NVnc ſcio verè, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudęorum.

Pſal.138. Pſal. Domine, probâſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam.

COLLECTA.

DEus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecrâſti, da Eccleſiæ tuæ, eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium: Per &c.

LECTIO ACTVVM APOST. XII.

IN *diebus illis: Miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occídit aũt Iacobũ fratrem Iohannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrũ. Erãt autem dies azymorum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradénsq; eum quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, volens poſt Paſcha eum producere populo. Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere: oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et eccè angelus Domini adſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris. Perculſoq;*

cuſſoq; latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum: & neſciebat quia verum eſt quod fiebat per angelum. Exiſtimabat autem ſe viſum videre. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem. Quæ vltrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum, & continuò diſceſſit ab eo angelus: & Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio verè, quia Dominus miſit Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

GRADVALE.

CONſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erũt nominis tui Domine. Pſal.44.
Verſ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, proptereà populi confitebuntur tibi.

Alleluia. Verſ. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Verſ. Beatus es Simon Petrus, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis. Matt.16.

SEQVENTIA.

PEtre ſumme CHRISTI paſtor, & Paule gentium doctor, Eccleſiam veſtris doctrinis illuminatam, Per circulum terræ precatus adiuuet veſter. Nam Dominus Petre cælorum

tibi claues dono dedit. Armigerum Beniamin Chriſtus te ſcit ſuum vas electum. Mare planta té Petre Chriſtus conculcare tuę dedit charitati, Vmbram tui corporis infirmis debilibusque fecit medicinam. Doctiloquos philoſophos te Paule Chriſtus dat vincere ſua voce. Multiplices victorias tu Paule Chriſto populos acquiſiſti. Poſtremò victis om̃ibus barbaris ad arcem ſummi pergitis culminis. Germanos diſcordes ſub iugo Chriſti pacatos iam coacturi: Ibi Neronis feritas principes Apoſtolorum, prælijs plurimis victores, Diuerſæ te Petre & Paule addixerat pœnæ mortis. Te crux aſſociat, te verò gladius cruentus mittit Chriſto.

EVANGELIVM MATT. XVI.

IN *illo tempore: Venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogauit diſcipulos ſuos, &c.* Vt *in Cathedra Petri, pag.* 340.

OFFERTORIVM.

Pſal. 44. CONſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine in omni progenie & generatione.

COMMVNIO.

Matt. 16. TV es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

COLLECTA.

DEus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri &c. Vt ſuprà, pag. 360.

IN

IN VISITATIONE B. MARIAE VIRGINIS.

IN VESPERIS HYMNVS.

Aue maris ſtella, vt ſuprà. pag. 319.

Antiph. ſuper Mag.

O Quanta vis amoris, illibatæ tunc mentem accenderat virginis, vt in Spiritu ſancto rapta iubilaret, Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

COLLECTA.

DEus, qui nos præſentem feſtiuitatem in Ieſu Chriſti filij tui & beatæ Mariæ virginis matris eius laudibus venerari voluiſti, præſta quæſumus, vt qui eiuſdem virginis humilitatis & gaudiorum, quibus Eliſabeth viſitauit, ſolennia celebramus, in eorum memoria & gaudijs iugiter maneamus: Per Dominum noſtrum &c. Luc. 1.

Eodem die.

DEus, qui ſanctorum tuorum Proceſſi & Martiniani confeſſionibus glorioſis nos circundas & protegis: Da nobis, quæſumus, & eorum imitatione proficere, & interceſſione gaudere: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius viſitatione gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor Pſal. 44.

meum

meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: Gloria patri &c.

COLLECTA.

DEus, qui nos præſentem feſtiuitatem in Ieſu &c. Vt ſuprà, pag. 363.

LECTIO CANTIC. II.

ECcè iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietē noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cācellos: En dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni: iam enim hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra: tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

GRADVALE.

BEnedicta & venerabilis es virgo Maria, quæ ſine tactu pudoris inuenta es mater ſaluatoris. Verſ. Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Alleluia. Verſ. In Maria benignitas per ſecula

cula commendatur, dum viſitans Eliſabeth vt ſubdita parabatur.

SEQVENTIA.

VEni prçcelſa domina, Maria tu nos viſita, ęgras mentes illumina, per ſacra vitæ numina. Veni ſaluatrix ſeculi, ſordes aufer piaculi, in viſitando populum, pœnæ tollas periculum. Veni regina gentiū, dele flammas reatuum, dele quodcunque deuium, da vitam innocentium. Veni vt anum viſites, Maria vires robores, virtute ſacri impetûs, nè fluctuetur animus. Veni ſtella lux marium, infunde pacis radium, exultet cor in gaudium Iohannis ante Dominum. Veni virga regalium, reduc fluctus errantium ad vnitatem fidei, in qua ſaluantur cælici. Veni, depoſce ſpiritûs ſancti dona propenſiùs, vt dirigamur rectiùs in huius vitæ actibus. Veni, laudemus filium, laudemus ſanctum ſpiritum, laudemus patrem vnicum, qui nobis det auxilium.

EVANGELIVM LVC. I.

IN illo tempore: Exurgēs Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta eſt Spirituſancto Eliſabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus

ctus ventris tui. Et vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Eccè enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abrahã & ſemini eius in ſecula. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

OFFERTORIVM.

Luc. 1. AVe Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

COMMVNIO.

BEata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt ad viſitationem Eliſabeth æterni patris filium.

COLLECTA.

Deus,

DEus, qui nos præſentem feſtiuitatem in, &c. Cũ ſuffrág. de Apoſtolis, vt ſu. pa. 363.

IN FESTO MARIÆ MAGDALENAE. IN VESPERIS HYMNVS.

LAuda mater Eccleſia,
Lauda CHRISTI *clementiam,*
Qui ſeptem purgat vitia.
Per ſeptiformem gratiam.
Maria ſoror Lazari,
Quæ tot commiſit crimina,
Ab ipſa fauce tartari
Redit ad vitæ limina.
Poſt fluxæ carnis ſcandala
Fit ex lebete phiala,
In vas tranſlata gloriæ
De vaſe contumeliæ.
Aegra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum,
Et à morbo multiplici
Verbo curatur medici.
Surgentem cum victoria
IESVM *videt ab inferis:*
Prima meretur gaudia,
Quæ plùs ardebat cæteris.
Vni Deo ſit gloria

Pro

Pro multiformi gratia,
Qui culpas & ſupplicia
Remittit, & dat præmia. Amen.

Antiph. ſuper Magnif.

Luc. 7. DVm redemptoris ſui Maria pedes tetigit, maculas cordis & corporis lachrymis abluit, & cunctis ſpei & pœnitentiæ exempla contulit.

COLLECTA.

BEatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: cuius precibus
Iohã. 11. exoratus, quatriduanum fratrem eius mortuum, viuum ab inferis reſuſcitâſti: Qui viuis & regnas &c.

AD MATVTINVM.

NArdi Maria piſtici
Sumpſit libram mox optimi,
Vnxit beatos Domini
Pedes, rigando lachrymis.
Honor, decus, imperium
Sit Trinitati vnicæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Per infinita ſecula, Amen.

AD LAVDES HYMNVS.

AEterni patris vnice,
Nos pio vultu reſpice,
Qui Magdalenam hodiè
Vocas ad thronum gloriæ.

In theſauro repoſita
Regis eſt drachma perdita,
Gemmaq́; luce inclyta
De luto luci reddita.
IESV *dulce refugium,*
Spes vna pœnitentium,
Per peccatricis meritum
Peccati ſolue debitum.
Pia mater & humilis,
Naturæ memor fragilis,
In huius vitæ fluctibus
Nos rege tuis precibus.
Vni Deo ſit gloria &c.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Mariæ Magdalenæ, de cuius ſolennitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Pſal.44.

COLLECTA.

Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, &c. Vt ſup. 368.

EPISTOLA CANT. III.

IN *lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non*

inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea vidiſtis? Paululū cùm pertrāſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donèc introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruosq́; camporum, nè ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donèc ipſa velit.

GRADVALE.

Pſal. 44. DIlexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Verſ. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.

Luc. 7. Alleluia. Verſ. Maria hæc eſt illa cui dimiſiſti multum Domine IESV Chriſte, quia te dilexit vehementer.

SEQVENTIA.

LAus tibi Chriſte, qui es creator & redemptor, idem & ſaluator, Cæli, terræ, maris, angelorum & hominū: Quem ſolum Deum confitemur & hominem: Qui peccatores veniſti vt ſaluos faceres, Sine peccato peccati aſſumens formulam, Quorum de grege vt Chananæam, Mariam viſitâſti Magdalenam: Eadem menſa verbi diuini illam micis, hanc refouens poculis, In domo Simonis leproſi conuiuijs accubans typicis. Murmurat phariſæus, vbi plorat fœmina criminis conſcia. Peccator contemnit compeccantem, peccati neſcius pœnitentem exaudis, emundas fœdam,

dam, adamas vt pulchram facias. Pedes amplectitur Dominicos, lachrymis lauat, tergit crinibus lauando, tergendo, vnguento vngit, oſculis circuit. Hæc ſunt conuiuia quæ tibi placent, ô patris ſapientia, Natus de virgine, qui non dedignaris tangi à peccatrice. A phariſæo es inuitatus, Mariȩ ferculis ſaturatus. Multum dimittis multùm amanti, nec crimē poſteà repetenti. Dȩmonijs eam ſeptē mundas ſeptiformi ſpiritu, Ex mortuis reſurgentem te das cunctis videre priorem. Hac Chriſte proſelytam ſignas Eccleſiam, quam ad filiorum menſam vocas alienigenam. Quam inter conuiuia legis & gratiȩ ſpernit phariſæi faſtus, lepra vexat hȩretica. Qualis ſit, tu ſcis: tangit te, quia peccatrix, & veniȩ optatrix. Quidnā haberet ægra, ſi non accepiſſet, ſi non medicus adeſſet? Rex regum diues in omnes, nos ſalua, peccatorum tergens cuncta crimina, ſanctorū ſpes & gloria. Amen.

EVANGELIVM LVCAE VII.

IN *illo tempore: Rogabat* IESVM *quidam phariſæus, vt manducaret cum illo.* Et *ingreſſus domū phariſæi, diſcubuit.* Et *ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quia Ieſus accubuiſſet in domo phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti.* Et *ſtans retrò ſecus pedes eius, cœpit lachrymis rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat: oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Vidēs *aūt phariſæus,*

qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic *ſi eſſet propheta, ſciret vtiquè quæ & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Et *reſpondens* IESVS, *dixit ad illum*: Simon, *habeo tibi aliquid dicere.* Et *ait ille*: Magiſter, *dic.* Et *reſpondens* IESVS, *dixit*: *Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.* Non *habẽtibus illis vndè redderent, donauit vtriſque.* Quis *ergò eum plùs diligit?* Et *reſpõdens* Simon *dixit*: Aeſtimo, *quia is cui plus donauit.* At *illè dixit*: Rectè *iudicaſti.* Et *conuerſus ad mulierem, dixit* Simoni: Vides *hanc mulierem?* Intraui *in domum tuam, aquã pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* Oſculum *mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos.* Oleo *caput meum non vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Propter *quod dico tibi*: Remittuntur *ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Cui autẽ minùs dimittitur, minùs diligit.* Dixit *autẽ ad illã*: Remittuntur *tibi pèccata tua.* Et *cœperunt quidam, qui ſimul diſcumbebant, dicere intra ſe*: Quis *eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Dixit *autem ad mulierem*: Fides *tua te ſaluam fecit, vade in pace.*

OFFERTORIVM.

Pſal. 44. Filiæ regũm in honore tuo, adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata

data varietate. COMMVN.

DIco vobis, gaudium eſt angelis Dei ſuper vno pèccatore pœniteniiam agente. Luc. 15.

IN FESTO S. IACOBI.

IN PRIMIS VESPERIS HYMNVS.

Exultet cælum laudibus. vt ſup. pag. 60.

INTROITVS MISSAE.

MIhi autē nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorū. Verſ. Domine, probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam. Pſal. 138.

COLLECTA.

ESto Domine plebis tuæ ſanctificator & cuſtos, vt Apoſtoli tui Iacobi munita præſidijs, & conuerſatione tibi placeat, & ſecura mente deſeruiat: Per &c.

EPISTOLA EPHE. II.

F*Ratres: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum &c. vt ſup. pag.* 324.

Graduale. Nimis honorati. vt ſuprà pag. 324.

SEQVENTIA.

CLare ſanctorū ſenatus Apoſtolorum, princeps orbis terrarum, rectorq; regnorum, Eccleſiarum mores & vitam moderare, Quæ per doctrinam tuam fideles ſunt vbiquè. Antiochus & Remus concedunt tibi Petre regni ſolium. Tyrannidem tu Paule Alexandrinam inuaſiſti Græciam. Aethiopes horridos Matthæe agnelli vellere, Qui maculas neſciat aliquas, veſtîſti candido. Thoma, Bartholomæe, Io-

Iohannes, Philippe, Simon, Iacobiq; Pariles, Andræa, Thaddæe, Dei bellatores inclyti, En vos Oriens & Occidens, immò teres mundi circulus, ſe patres habere gaudet, & expectat iudices. Et idcircò mundus omnis laudes vobis & honorem ſanctis debitum ſupplex impendit.

EVANGELIVM MATT. XX.

In illo tempore: Acceßit ad IESVM *mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeãt hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem* Ieſus, *dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicẽ, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.*

Offertorium & Commun. de Apoſt. pag. 343.

AD VINCVLA PETRI.

IN PRIMIS VESPERIS HYMNVS.

Petrus beatus catenarum laqueos,
CHRISTO *iubente, rupit mirabiliter:*
Cuſtos ouilis & doctor Eccleſiæ,
Paſtorq; gregis, conſeruator ouium,
Arcet luporum truculentam rabiem.
Gloria DEO *per immenſa ſecula,*
Sit tibi nate decus & imperium,

Honos,

Honós, poteſtas, ſanctoq́; Spiritui:
Sit Trinitati ſalus indiuidua
Per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

AD LAVDES.

Iam bone paſtor Petre. Vt *ſup.pag.*359.

COLLECTA.

DEus, qui beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorũ, quæſumus, abſolue vincula peccatorum, & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per. &c.

Collecta de SS. *Machab.*

FRaterna nos Domine martyrum tuorum Machabæorum corona lætificet, quæ & fidei noſtræ prębeat incitamenta virtutum, & multiplici nos ſuffragio conſoletur. Per &c.

INTROITVS MISSAE.

NVnc ſcio verè, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Pſal. Domine, probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam. Act.12. Pſal.138.

COLLECTA.

Deus, qui beatum Petrum Apoſt. vt ſup.

EPISTOLA ACT. XII.

IN *diebus illis: Miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de eccleſia. Occidit autem* Iacobum *fratrem &c.* Vt *ſup.pag.*360.

GRADVALE.

Pſal. 44. CONſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine. Verſ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi.

Matt. 16. Alleluia. Verſ. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Verſ. Beatus es Simon Petre, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis.

EVANGELIVM MATT. XVI.

IN *illo tempore: Venit* IESVS *in partes Cæſareæ Philippi, &c. vt ſup. pag.* 340.

OFFERTORIVM.

CONſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine in omni progenie & generatione.

COMMVNIO.

TV es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

IN FESTO S. LAVRENTII.

AD I. VESPERAS HYMNVS.

EN martyris Laurentij
Armata pugnauit fides:
Nam morte mortem diruit,
Ac ſemet impendit ſibi.
Fore hoc ſacerdos dixerat,
Iam Sixtus affixus cruci,
Laurentium florentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite:

Deſiſte

Deſiſte deceſſu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoquè
Poſt hoc ſequeris triduum.
Extrema vox epiſcopi
Prænunciatrix gloriæ
Nihil feſellit: nam dies
Prædicta palmam præſtitit.
Deo patri ſit gloria,
Eiuſq; ſoli filio,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum.

COLLECTA.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & interceſſione beati Laurentij martyris tui, perpetuam nobis miſericordiã benignus impende. Per.&c.

INTROITVS MISSAE.

COnfeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius. Pſal. Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Pſal. 95. Ibid.

COLLECTA.

DA nobis, quæſumus omnipotens Deus, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio martyri tuo, tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare: Per Dominum &c.

EPISTOLA II. COR. IX.

FRatres: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſque enim prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. Hilarē enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abūdare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis
Pſal.111. *in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.*

GRADVALE.

Pſal.16. PRobâſti Domine cor meum, & viſitâſti noƈte. Verſ. Igne me examinâſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Alleluia. Verſ. Leuita Laurentius bonum opus operatus eſt, & qui per ſignum crucis cæcos illuminauit, & theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus.

EVANGELIVM IOH. XII.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Amē amen dico vobis: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam

am in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrauerit, me ſequatur: & vbi egò ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.

OFFERTORIVM.

CONfeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctitas & magnificentia in, &c. Vt ſupr. pag. 377. Pſal. 95. & 110.

COMMVNIO.

QVi mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Iohã. 12.

IN SECVNDIS VESPERIS,

Antiphon. ſup. Magnific.

BEatus Laurentius dum in craticula ſuperpoſitus vreretur, ad impijſſimum tyrannũ dixit: Aſſatũ eſt, iam verſa & manduca: nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIAE.

HYMNVS.

GAude viſceribus mater in intimis,
Felix Eccleſia, quæ ſacra replicas
Sancta feſta, Mariæ:
Plaudant aſtra, ſolum, mare.
Cuius magnifica eſt generatio,
Cuius vita ſacris claruit actibus,

Cuius

Cuius finis honorem
Summum ſine tenet ſine.
Quæ virgo peperit, virgoq́; permanet,
Lactauit proprijs vberibus Deum,
Portantemq́; gerebat
Vlnis prona trementibus.
Felix multiplici laude puerpera
Regis porta ſui clauſa perenniter,
Mundi ſtella fluentis,
Floris virgula regia.
Te nunc ſuppliciter ſancta theotocos
Regis perpetui, ſponſaq́; poſcimus,
Vt nos ſemper vbiquè
Miti munere protegas.
Sanctis obtineas virgo precatibus
Pacis præſidium dulce diutinæ,
Nobis atque beati
Regni dona perennia.
Præſta ſumme pater, patris & vnice,
Amborumq́; ſimul ſpiritus annue,
Qui regnas Deus *vnus*
Omni tempore ſeculi.

COLLECTA.

DEus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: Da, quæſumus, vt ſua nos defenſione munitos, iocundos faciat ſuæ intereſſe feſtiuitati: Per Do-

Dominum &c.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius aſſumptione gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor meũ verbum bonum, dico ego opera mei regi. Pſal. 44.

COLLECTA.

VEneranda nobis Domine huius diei feſtiuitas opem cõferat ſempiternam, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubijt temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quę filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum: Qui tecum &c.

LECTIO ECCLESIAST. XXIIII.

IN *omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante ſecula creata ſum: & vſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum, detentio mea. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus*

preſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hiericho. Quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta áquam in plateis. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.

GRADVALE.

Pſal. 44. PRopter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Verſ. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, quia concupiuit rex ſpeciem tuam.

Alleluia. Verſ. Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudet exercitus angelorum.

SEQVENTIA.

COngaudent angelorum chori glorioſæ virgini, Quæ ſine virili commixtione genuit Filium, qui ſuo mundum cruore medicat. Nam ipſa lætatur, quòd cæli iam conſpicatur principem, In terris cui quondàm ſugendas virgo mammillas præbuit. Quàm celebris angelis Maria mater IESV creditur, Qui filij illius debitos ſe cognoſcunt famulos? Qua gloria in cælis iſta virgo colitur, Quæ Domino cæli præbuit hoſpitium ſui ſanctiſſimi corporis? Quàm ſplendida poli ſtella maris rutilat, quæ omniũ lumen aſtrorum & hominum atq; ſpirituum genuit? Te cæli regina hæc plebecula pijs concelebrat mentibus. Te cantu melodo ſuper æthera vnà cum

cum angelis eleuat. Te libri virgo concinunt prophetarum, chorus iubilat ſacerdotũ, Paulus, Chriſtiq́ue martyres prædicant. Te plebes ſexûs ſequitur vtriuſque, vitã diligẽs virginalem, cælicolas in caſtimonia æmulans. Eccleſia ergò cuncta te cordibus atque carminibus venerans, Tibi ſuam manifeſtat deuotionem, precatu te ſupplici implorans Maria, Vt ſibi auxilium circa Chriſtum Dominum eſſe digneris per æuum.

EVANGELIVM LVCAE X.

IN *illo tempore: Intrauit* IESVS *in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedẽs ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſteriũ. Quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergò illi, vt me adiuuet. Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

OFFERTORIVM.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in ſeculum ſeculi. Pſal. 44.

ALIVD OFFERTORIVM.

REcordare virgo mater, dum ſteteris in conſpectu DEI, vt loquaris pro nobis

bona, & vt auertas indignationem ſuam à nobis.

COMMVNIO.

Ibid. DIlexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ: proptereà benedixit te Deus Deus tuus.

IN FESTO S. BARTHOLOMAEI.

In primis Veſperis, Hymnus.

Exultet cælum laudibus. &c. vt ſup. pag. 60.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 138. MIhi autẽ nimìs honorati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum. Verſ. Domine, probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam ſanctamque lætitiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitate tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit: Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA EPHE. II.

F*Ratres: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum &c. vt ſup. pag. 324.*

GRADVALE.

Pſal. 138. NImìs honorati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum. Verſ. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.

Alle-

Alleluia. Verſ. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia magna in plebe. Actor.5.

SEQVENTIA.

Clare ſanctorum ſenatus Apoſtolorũ, &c. Vt ſup. pag. 373.

EVANGELIVM LVC. XXII.

IN illo tempore: Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nã quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat, vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.

OFFERTORIVM.

MIhi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

COMMVNIO.

VOs qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus. Matt.19.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOHANNIS BAPTISTAE.

In primis Veſperis, Hymnus.

Deus tuorum militum. vt ſup. pag. 55.

COLLECTA.

SAncti Iohannis Baptiſtæ & martyris tui, quæſumus Domine, veneranda feſtiuitas ſalutaris auxilij nobis præſtet effectum.

Eodem die Sabinæ virginis.

INterceſſio nos Domine S. Sabinæ virginis & martyris tuæ confoueat; vt eius ſacra natalitia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 118. COgnoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliâſti me. Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis non me repellas. Verſ. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

Sancti Iohannis Baptiſtæ & martyris tui, &c. Vt ſupr. in Veſperis.

EPISTOLA PROV. X.

E*Xpectatio iuſtorum lætitia, ſpes autē impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum. Iuſtus autem in æternū non commouebitur: impij autem non habitabunt ſuper terram. Os iuſti parturit ſapientiam: lingua prauorum*

uorum peribit. Labia iuſti conſiderant placita, & os impiorum peruerſa. Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. Iuſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidijs ſuis capientur iniqui. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. In benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas.

GRADVALE.

POſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide precioſo. Verſ. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudâſti eum. Pſal.20.

Alleluia. Verſ. Miſſo Herodes ſpiculatore, præcepit amputari caput Iohannis in carcere. Mar.6.

SEQVENTIA.

PSallite regi noſtro, pſallite, pſallite, pſallite prudenter. Nam pſalterium eſt iucundum cum cithara Nato virginis, cui pſallens natus ſterilis, Citharã carnis percuſſit in domo Domini, Dum quod ſonabat clamando, docuit viuendo, Mortificando quæ ſuper terram ſunt membra, & hoc alios docendo, Præparans Chriſto plebem perfectam Iohannes, vox clamantis in deſerto. Sed vox hæc impium Herodẽ quem corripit, minimè corrigit, Pſal.46.

 rigit,

git. Haud tamen tacuit, ſed aduſquè ſanguinem ſceleri reſtitit. Non licet, inquit, te fratris tui habere coniugem raptam ſibi: peccâſti, quieſce: pœnitentibus ſic præcepit Dominus. Vocem incantantis ſapienter Herodes vt aſpis ſurda ſpernit: vt iuſtum, vt ſanctum, Iohannem timet, quem vinxit in carcere. Sedet in tenebris lucerna lucis, amicus omnipotentis. Studet delicijs mundi principis filius perditionis. Meretrix ſuadet, puella ſaltat, rex iubet, ſanctus decollatur. Dat rex ſaltanti caput Iohannis, qui ſanctus, antequàm eſſet natus. En quomodò perit iuſtus, quaſi non ſit Deo dilectus, Cùm ſit eius precioſa mors hæc in conſpectu Domini. Nos corde percipimus qualis ac quantus eſt, quia vicinus dignitate Chriſto ſit & morte. Nam morte turpiſſima damnatur ſponſus ſponſi, & amicum damnant morte rectè turpiſſima. Carcere carnis ductum quem ferunt pſallendo cælis angeli angelum. Et nos in terris tibi pſallere fac Chriſte in memoriam Baptiſtæ. Herodis ſpreta quô menſa, altaris in menſa ipſum te dum ſumimus, ſemper tibi pſallamus. Amen.

EVANGELIVM MAR. VI.

IN *illo tempore: Miſit* Herodes *rex manus, & tenuit* Iohannem, *& vinxit eum in carcere, propter* Herodiadem *vxorem* Philippi *fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim* Iohannes Herodi: *Non*

licet

licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodes *autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.* Herodes *enim metuebat* Iohannem, *ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Et *cùm dies opportunus accidiſſet,* Herodes *natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis & primis* Galilææ. *Cumq; intrâſſet filia* Herodiadis, *& ſaltâſſet, & placuiſſet* Herodi, *ſimulq; diſcumbentibus, rex ait puellæ:* Pete *à me quod vis, & dabo tibi.* Et *iurauit illi, quia quicquid petiêris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei. Quæ dum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput* Iohannis Baptiſtæ. *Cumq; introîſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petiuit, dicens:* Volo, *vt protinùs des mihi in diſco caput* Iohânnis Baptiſtæ. Et *contriſtatus eſt rex propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed confeſtìm miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput* Iohânis *in diſco.* Et *decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumentum.*

OFFERTORIVM.

IVſtus vt palma florebit, ſicut cedrus quæ in Libano eſt, multiplicabitur. Pſal.91.

COMMVNIO.

Pſal.118. PRincipes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. lętabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa, concupiuit anima mea teſtimonia tua Domine, & dilexit ea vehementer.

AD II. VESPERAS HYMNVS.

O Nimis felix, meritiq; celſi,
Neſciens labem niuei pudoris,
Præpotens martyr, eremiq; cultor,
Maxime vatum.
Gloriam patri reſonemus omnes,
Et tibi Chriſte genite ſuperne,
Cum quibus ſanctus ſimul & creator
Spiritus regnat. Amen.

IN NATIVITATE B. MARIAE VIRGINIS.

IN PRIMIS VESPERIS HYMNVS.

Aue maris ſtella. Vt ſup.pag.319.

COLLECTA.

SVpplicationes ſeruorũ tuorum Deus miſerator exaudi, vt qui in natiuitate Dei genitricis & virginis Mariæ congregamur, eius intercessionibus à te, de inſtantibus periculis eruamur: Per eundem &c.

EODEM DIE.

PRæſta, quęſumus omnipotens Deus, vt qui beati Adriani martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eius interceſſione liberemur: Per &c.

IN-

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diē feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius natiuitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Pſal. 44.

COLLECTA.

SVpplicationes ſeruorum tuorum Deus miſerator exaudi, vt qui in natiuitate Dei genitricis &c. Vt in primis Veſperis. pag. 390.

LECTIO ECCLE. XXIIII.

E*Go quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me omnis gratia viæ & veritatis: In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generatione ſeculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabuunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

GRADVALE.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternū. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Ibid.

Alleluia. Verſ. Natiuitas glorioſæ virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara de ſtirpe Dauid.

SEQVENTIA.

STirpe Maria regia procreata, regem generans Ieſum, Laude digna angelorũ ſanctorum: Et nos peccatores tibi deuotos intuere benigna. Tu pios patrum mores oſtentas in te, ſed excellis eoſdem. Patris tui Salomonis in te lucet ſophia, Et Ezechiæ apud Deum cor rectum, ſed nunquàm in te corrumpendum. Patris Ioſiæ adimpleuit te religioſitas. Summi etiam patriarchæ te fides totam poſſedit patris tui. Sed quid nos iſtos recẽſemus heroas, Cùm tuus natus omnes præcellat illos, atque cunctos per orbem? Nos hac die tibi gregatos ſerua virgo in lucem mundi, qua prodîſti paritura cælorum lumen.

EVANGELIVM MATTH. I.

Liber generationis IESV *Chriſti filij Dauid, filij Abraham Abraham autem genuit Iſaac Iſaac autem. &c.* *Vt ſup. pag.* 322.

OFFERTORIVM.

Luc. 1. AVe Maria, gratia plena, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

COMMVNIO.

Pſal. 44. DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

IN

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

IN PRIMIS VESP. HYMNVS.

Vexilla regis, vt ſup pag. 129.

COLLECTA.

BEatorum martyrum tuorum, pariterque pontificũ, Cornelij & Cypriani nos, quæſumus Domine, merita tueantur, & eorũ commendet oratio veneranda.

INTROITVS MISSAE.

NOs autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra: per quem ſaluati & liberati ſumus. Verſ. Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtrî. Gal. 6. Pſal. 66.

COLLECTA.

DEus, qui nos hodierna die exaltatione S. Crucis lætificas, præſta, quæſumus, vt cuius myſterium in terra cognouimus, eius redemptionis præmia in cælo conſequi mereamur: Per &c.

EPISTOLA AD PHIL. II.

F*Ratres : Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto* IESV, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, hu-*

miliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV *omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

GRADVALE.

Phil. 2. CHriſtus factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

Alleluia. Verſ. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regem cælorum & Dominum.

SEQVENTIA.

LAudes crucis extollamus nos, qui crucis exultamus ſpeciali gloria. Dulce melos tangat cælos, dulce lignum dulci dignum credimus melodia. Voci vita non diſcordet: dum vox vitam non remordet, dulcis eſt ſymphonia. Serui crucis crucem laudent, qui per crucem ſibi gaudent vitæ dari munera. Dicant omnes & dicánt ſinguli, Aue ſalus totius ſeculi, arbor ſalutifera. O quàm felix, quâm præclara fuit hæc ſalutis ara, rubens agni ſanguine, Agni ſine macula, qui mundauit ſecula ab antiquo crimine. Hæc eſt ſcala peccatorum, per quam Chriſtus rex celorũ, ad ſe traxit omnia. Forma cuius hoc oſtendit, quæ ter-

terrarum comprӕhendat quatuor confinia. Non ſunt noua ſacramenta, nec recenter eſt inuenta crucis hæc religio. Iſta dulces aquas fecit, per quam ſilex aquam iecit Moiſis officio. Nulla ſalus eſt in domo, niſi cruce munit homo ſuperliminaria. Neque ſenſit gladium, nec amiſit filium, quiſquis egit talia. Ligna legens in Sarepta, ſpem ſalutis eſt adepta pauper muliercula. Sine lychnis fidei nec lecythus olei valet, nec farinula. Roma naues vniuerſas in profundum vidit merſas vnà cum Maxentio. Fuſi Thraces, cæſi Perſæ, ſed & artis dux aduerſæ, victus ab Eraclio. In ſcripturis ſub figuris iſta latent, ſed iam patent crucis beneficia. Reges credunt, hoſtes cedunt: ſola cruce, Chriſto duce, vnus fugat millia. Iſta ſuos fortiores ſemper facit & victores, morbos ſanat & languores, reprimit dæmonia. Dat captiuis libertatem, vitæ confert nouitatem, ad antiquam dignitatem crux reduxit omnia. O crux lignum triumphale, vera mundi ſalus, vale: inter ligna nullum tale, fronde, flore, germine. Medicina Chriſtiana, ſalua ſanos, ægros ſana: quod non valet vis humana, fit in tuo nomine. Aſſiſtentes crucis laudi, conſecrator crucis audi, atque ſeruos tuæ crucis, poſt hanc vitam veræ lucis transfer ad palatia. Quos tormento vis ſeruire, fac tormenta nos ſentire: ſed cùm dies venit iræ, confer nobis & largire ſempiterna gaudia.

EVAN-

EVANGELIVM IOHAN. III.

Iohā.3. IN *illo tēpore: Erat homo ex Phariſæis* Nicodemus *nomine, princeps* Iudæorum. *Hic venit ad* Ieſum *nocte, &c.* *Vt ſup.pag.232.*

OFFERTORIVM.

PRotege Domine plebem tuam per ſignum ſanctæ Crucis ab omnibus inſidijs inimicorum omnium, vt tibi gratam exhibeamus ſeruitutem, & acceptabile tibi fiat ſacrificium noſtrum.

COMMVNIO.

Gal.6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.

IN FESTO S. MATTHÆI

In primis Veſperis. Hymnus.

Exultet cælum laudibus. &c. *vt ſup.pag.60.*

COLLECTA.

DA nobis, quæſumus omnipotens Deus, vt beati Matthæi Apoſtoli tui & Euangeliſtæ, quam præuenimus, veneranda ſolennitas & deuotionem nobis augeat, & ſalutem.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.39. OS iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in
Ibid. corde ipſius. Pſal. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

COLLECTA.

BEati Apoſtoli tui & Euangeliſtæ Matthæi Domine precibus adiuuemur, vt quod poſ-

poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur: Per &c.

EPISTOLA EPHES. IIII.

FRatres: Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem aſſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorū, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donèc occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis & plenitudinis Chriſti.

GRADVALE.

BEatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimìs. Verſ. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Pſal. 110.

Alleluia. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt.

SEQVENTIA.

IVcundare plebs fidelis, cui pater eſt in cælis, recolens Ezechielis prophetę præconia.

Eſt

bona, & vt auertas indignationem ſuam à nobis.

COMMVNIO.

Ibid. DIlexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatē: propterea benedixit te Deus Deus tuus.

IN FESTO S. BARTHOLOMAEI.

In primis Veſperis, Hymnus.

Exultet cælum laudibus. &c. vt ſup. pag. 60.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 138. MIhi autē nimìs honorati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum. Verſ. Domine, probâſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam ſanctamque lætitiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitate tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit: Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA EPHE. II.

FRatres: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum &c. vt ſup. pag. 524.*

GRADVALE.

Pſal. 138. NImìs honorati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum. Verſ. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.

Alle-

Alleluia. Verſ. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia magna in plebe. Actor. 5.

SEQVENTIA.

Clare ſanctorum ſenatus Apoſtolorū, &c. Vt ſup. pag. 373.

EVANGELIVM LVC. XXII.

IN illo tempore: Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur; vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nā quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nōnne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat, vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.

OFFERTORIVM.

MIhi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

COMMVNIO.

VOs qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus. Matt. 19.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOHANNIS BAPTISTAE.

In primis Veſperis, Hymnus.

Deus tuorum militum. vt ſup. pag. 55.

COLLECTA.

SAncti Iohannis Baptiſtæ & martyris tui, quæſumus Domine, veneranda feſtiuitas ſalutaris auxilij nobis præſtet effectum.

Eodem die Sabinæ virginis.

INterceſſio nos Domine S. Sabinæ virginis & martyris tuæ confoueat; vt eius ſacra natalitia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 118. COgnoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliâſti me. Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis non me repellas. Verſ. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

Sancti Iohannis Baptiſtæ & martyris tui, &c. Vt ſupr. in Veſperis.

EPISTOLA PROV. X.

EXpectatio iuſtorum lætitia, ſpes autē impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum. Iuſtus autem in æternū non commouebitur: impij autem non habitabunt ſuper terram. Os iuſti parturit ſapientiam; lingua prauorum

uorum peribit. Labia iuſti conſiderant placita, & os impiorum peruerſa. Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. Iuſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidijs ſuis capientur iniqui. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. In benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas.

GRADVALE.

POſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide precioſo. Verſ. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudâſti eum. Pſal. 20.

Alleluia. Verſ. Miſſo Herodes ſpiculatore, præcepit amputari caput Iohannis in carcere. Mar. 6.

SEQVENTIA.

PSallite regi noſtro, pſallite, pſallite, pſallite prudenter. Nam pſalterium eſt iucundum cum cithara Nato virginis, cui pſallens natus ſterilis, Citharā carnis percuſſit in domo Domini, Dum quod ſonabat clamando, docuit viuendo, Mortificando quæ ſuper terram ſunt membra, & hoc alios docendo, Præparans Chriſto plebem perfectam Iohannes, vox clamantis in deſerto. Sed vox hæc impiū Herodē quem corripit, minimè corrigit. Pſal. 46.

git. Haud tamen tacuit, ſed aduſquè ſanguinem ſceleri reſtitit. Non licet, inquit, te fratris tui habere coniugem raptam ſibi: peccâſti, quieſce: pœnitentibus ſic præcepit Dominus. Vocem incantantis ſapienter Herodes vt aſpis ſurda ſpernit: vt iuſtum, vt ſanctum, Iohannem timet, quem vinxit in carcere. Sedet in tenebris lucerna lucis, amicus omnipotentis. Studet delicijs mundi principis filius perditionis. Meretrix ſuadet, puella ſaltat, rex iubet, ſanctus decollatur. Dat rex ſaltanti caput Iohannis, qui ſanctus, antequàm eſſet natus. En quomodò perit iuſtus, quaſi non ſit Deo dilectus, Cùm ſit eius precioſa mors hæc in conſpectu Domini. Nos corde percipimus qualis ac quantus eſt, quia vicinus dignitate Chriſto ſit & morte. Nam morte turpiſſima damnatur ſponſus ſponſi, & amicum damnant morte rectè turpiſſima. Carcere carnis ductum quem ferunt pſallendo cælis angeli angelum. Et nos in terris tibi pſallere fac, Chriſte in memoriam Baptiſtæ. Herodis ſpreta quô menſa, altaris in menſa ipſum te dum ſumimus, ſemper tibi pſallamus. Amen.

EVANGELIVM MAR. VI.

IN *illo tempore: Miſit* Herodes *rex manus, & tenuit* Iohannem, *& vinxit eum in carcere, propter* Herodiadem *vxorem* Philippi *fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim* Iohannes Herodi: Non *licet*

licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodes *autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.* Herodes *enim metuebat* Iohannem, *ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cùm dies opportunus accidiſſet,* Herodes *natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis & primis* Galilææ. *Cumq; intrâſſet filia* Herodiadis, *& ſaltâſſet, & placuiſſet* Herodi, *ſimulq; diſcumbentibus, rex ait puellæ:* Pete *à me quod vis, & dabo tibi.* Et *iurauit illi, quia quicquid petiêris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei. Quæ dum exîſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput* Iohannis Baptiſtæ. *Cumq; introîſſet ſtatìm cum feſtinatione ad regem, petiuit, dicens:* Volo, *vt protinùs des mihi in diſco caput* Iohānis Baptiſtæ. Et *contriſtatus eſt rex propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed confeſtìm miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput* Iohānis *in diſco.* Et *decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumentum.*

OFFERTORIVM.

IVſtus vt palma florebit, ſicut cedrus quæ in Libano eſt, multiplicabitur. Pſal.91.

COMMVNIO.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diẽ feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius natiuitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Pſal. 44.

COLLECTA.

SVpplicationes ſeruorum tuorum Deus miſerator exaudi, vt qui in natiuitate Dei genitricis &c. Vt in primis Veſperis. pag. 390.

LECTIO ECCLE. XXIIII.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me omnis gratia viæ & veritatis: In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generatione ſeculorum. Qui edunt me, adhuc éſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabuunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

GRADVALE.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Ibid.

Alleluia. Verſ. Natiuitas glorioſæ virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara de ſtirpe Dauid.

SEQVENTIA.

STirpe Maria regia procreata, regem generans Ieſum, Laude digna angelorũ ſanctorum: Et nos peccatores tibi deuotos intuere benigna. Tu pios patrum mores oſtentas in te, ſed excellis eoſdem. Patris tui Salomonis in te lucet ſophia, Et Ezechiæ apud Deum cor rectum, ſed nunquàm in te corrumpendum. Patris Ioſiæ adimpleuit te religioſitas. Summi etiam patriarchæ te fides totam poſſedit patris tui. Sed quid nos iſtos recẽſemus heroas, Cùm tuus natus omnes præcellat illos, atque cunctos per orbem? Nos hac die tibi gregatos ſerua virgo in lucem mundi, qua prodîſti paritura cælorum lumen.

EVANGELIVM MATTH. I.

Liber generationis IESV *Chriſti filij Dauid, filij Abraham Abraham autem genuit Iſaac Iſaac autem. &c.* *Vt ſup. pag. 322.*

OFFERTORIVM.

Luc. 1. AVe Maria, gratia plena, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

COMMVNIO.

Pſal. 44. DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

IN

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

IN PRIMIS VESP. HYMNVS.

Vexilla regis, vt ſup pag. 129.

COLLECTA.

BEatorum martyrum tuorum, pariterq́ue pontificũ, Cornelij & Cypriani nos, quæſumus Domine, merita tueantur, & eorũ commendet oratio veneranda.

INTROITVS MISSAE.

NOs autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra: per quem ſaluati & liberati ſumus. Verſ. Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtrî. Gal.6. Pſal.66.

COLLECTA.

DEus, qui nos hodierna die exaltatione S. Crucis lætificas, præſta, quæſumus, vt cuius myſterium in terra cognouimus, eius redemptionis præmia in cælo conſequi mereamur: Per &c.

EPISTOLA AD PHIL. II.

FRatres: Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, hu-*

miliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV *omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

GRADVALE.

Phil. 2. CHriſtus factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

Alleluia. Verſ. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regem cælorum & Dominum.

SEQVENTIA.

LAudes crucis extollamus nos, qui crucis exultamus ſpeciali gloria. Dulce melos tangat cælos, dulce lignum dulci dignum credimus melodia. Voci vita non diſcordet: dum vox vitam non remordet, dulcis eſt ſymphonia. Serui crucis crucem laudent, qui per crucem ſibi gaudent vitæ dari munera. Dicant omnes & dicant ſinguli, Aue ſalus totius ſeculi, arbor ſalutifera. O quàm felix, quâm præclara fuit hæc ſalutis ara, rubens agni ſanguine, Agni ſine macula, qui mundauit ſecula ab antiquo crimine. Hæc eſt ſcala peccatorum, per quam Chriſtus rex cælorũ, ad ſe traxit omnia. Forma cuius hoc oſtendit, quæ ter-

terrarum compræhendat quatuor confinia. Non ſunt noua ſacramenta, nec recenter eſt inuenta crucis hæc religio. Iſta dulces aquas fecit, per quam ſilex aquam iecit Moiſis officio. Nulla ſalus eſt in domo, niſi cruce munit homo ſuperliminaria. Neque ſenſit gladium, nec amiſit filium, quiſquis egit talia. Ligna legens in Sarepta, ſpem ſalutis eſt adepta pauper muliercula. Sine lychnis fidei nec lecythus olei valet, nec farinula. Roma naues vniuerſas in profundum vidit merſas vnà cum Maxentio. Fuſi Thraces, cæſi Perſæ, ſed & artis dux aduerſæ, victus ab Eraclio. In ſcripturis ſub figuris iſta latent, ſed iam patent crucis beneficia. Reges credunt, hoſtes cedunt: ſola cruce, Chriſto duce, vnus fugat millia. Iſta ſuos fortiores ſemper facit & victores, morbos ſanat & languores, reprimit dæmonia. Dat captiuis libertatem, vitæ confert nouitatem, ad antiquam dignitatem crux reduxit omnia. O crux lignum triumphale, vera mundi ſalus, vale: inter ligna nullum tale, fronde, flore, germine. Medicina Chriſtiana, ſalua ſanos, ægros ſana: quod non valet vis humana, fit in tuo nomine. Aſſiſtentes crucis laudi, conſecrator crucis audi, atque ſeruos tuæ crucis, poſt hanc vitam veræ lucis transfer ad palatia. Quos tormento vis ſeruire, fac tormenta nos ſentire: ſed cùm dies venit iræ, confer nobis & largire ſempiterna gaudia.

EVAN-

EVANGELIVM IOHAN. III.

Ioh. 3. IN *illo tẽpore: Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, &c. Vt ſup. pag. 232.*

OFFERTORIVM.

PRotege Domine plebem tuam per ſignum ſanctæ Crucis ab omnibus inſidijs inimicorum omnium, vt tibi gratam exhibeamus ſeruitutem, & acceptabile tibi fiat ſacrificium noſtrum.

COMMVNIO.

Gal. 6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.

IN FESTO S. MATTHÆI

In primis Veſperis. Hymnus.

Exultet cælum laudibus. &c. vt ſup. pag. 60.

COLLECTA.

DA nobis, quæſumus omnipotens Deus, vt beati Matthæi Apoſtoli tui & Euangeliſtæ, quam præuenimus, veneranda ſolennitas & deuotionem nobis augeat, & ſalutem.

INTROITVS MISSAE.

Pſal. 39. OS iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in
Ibid. corde ipſius. Pſal. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

COLLECTA.

BEati Apoſtoli tui & Euangeliſtæ Matthæi Domine precibus adiuuemur, vt quod poſ-

poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur: Per &c.

EPISTOLA EPHES. IIII.

F*Ratres: Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem aſſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorũ, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donèc occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis & plenitudinis Chriſti.*

GRADVALE.

BEatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimìs. Verſ. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Pſal.110.

Alleluia. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt.

SEQVENTIA.

IVcundare plebs fidelis, cui pater eſt in cælis, recolens Ezechielis prophetæ præconia.

Eſt

Eſt Iohannes teſtis Chriſti, ſcribens in Apocalypſi: Verè vidi, verè ſcripſi vera teſtimonia, Circa thronum maieſtatis, cum ſpiritibus beatis, quatuor diuerſitatis adſtant animalia. Formam primum aquilinam, & ſecundum leoninam, ſed humanam & bouinam duo gerunt alia. Formæ formant figurarum formas Euangeliſtarum, quorum imber doctrinarum ſtillat in eccleſia. Hi ſunt Marcus & Matthæus, Lucas, & quem Zebedęus pater miſit tibi Deus, dum laxaret retia. Formam viri dant Matthæo, quia ſcripſit ſic de Deo, ſicut deſcendit ab eo quē plaſmauit hominem. Lucas bos eſt in figura, vt præmonſtrat in ſcriptura, hoſtiarum agens iura legis ſub velamine. Marcus leo per deſertum, clamans rugit in apertum, iter fiat Deo certum, mundum corà crimine. Sed Ioannes ala bina charitatis, aquilina forma fertur in diuina puriori lumine. Quatuor deſcribunt iſti quadriformes actus Chriſti, & figurant, vt audiſti, quiſque ſua formula. Natus homo declaratur, vitulus ſacrificatur, leo mortem deprædatur, & aſſcendit aquila. Eccè forma beſtialis, quam ſcriptura prophetalis notat, ſed materialis hęc eſt impoſitio. Currūt rotis, volant alis, viſus lux eſt diſcretalis, rota ſenſu literalis, ala contemplatio. Paradiſus his rigatur, viret, floret, fœcundatur, his abundat, his lætatur quatuor fluminibus. Fons eſt Chriſtus, hi ſunt riui: fons eſt altus, hi procliui, vt ſaporem fontis viui

mi-

miniſtrent fidelibus. Horum riuo debriatis ſitis creſcat charitatis, vt de fonte pietatis ſatiemur pleniùs. Horum trahat nos doctrina vitiorum à ſentina, ſicq́ue ducat ad diuina ab imo ſuperiùs.

EVANGELIVM MATTH. IX.

IN illo tempore: Cùm tranſiret Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum. Et factum eſt diſcumbente eo in domo illius, eccè multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis eius. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quarè cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. Euntes autem, diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

OFFERTORIVM.

POſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo: vitam petijt à te, & tribuiſti ei. Pſal. 20.

COMMVNIO.

MAgna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem pones ſuper eum Domine. Ibid.

IN FESTO MICHAELIS.

In primis Veſperis, Hymnus.

Tibi

Tibi Chriſte ſplendor patris, vita, virtus cordium,
In conſpectu Angelorum, votis, voce pſallimus,
Alternantes concrepando melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes omnes cæli milites,
Sed præcipuè primatem cæleſtis exercitûs
Michaelem in virtute conterentem Zabulon.
Quo cuſtode procùl pelle rex Chriſte piiſſime,
Omne nefas inimici, mundo corde & corpore,
Paradiſo redde tuo nos ſola clementia.
Gloriam patri melodis reſonemus vocibus,
Gloriam Chriſto canamus, gloriam paraclito,
Qui Deus trinus & vnus extat ante ſecula. Amen.

AD LAVDES.

Christe ſanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis & author,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cælum.
Angelum pacis Michael ad iſtam
Cælitùs mitti rogitamus aulam,
Nobis vt crebrò veniente creſcant,
Proſpera cuncta.
Angelus fortis Gabriel vt hoſtem
Pellat antiquum, volitet ab alto
Sæpiùs templum veniens ad iſtud
Viſere noſtrum.
Angelum nobis medicum ſalutis
Mitte de cælis Raphael, vt omnes

Sanet ægrotos, pariterq; noſtros
Dirigat actus.
Hinc Dei noſtri genitrix Maria,
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper aßiſtat, ſimul & beata
Concio tota.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris ac nati, pariterq; ſancti
Spiritûs, cuius reboat in omni
Gloria mundo, Amen.

INTROITVS MISSAE.

BEnedicite Dominum omnes angeli eius, Pſal.102.
potentes virtute qui facitis verbum eius,
ad audiendam vocem ſermonum eius. Pſal.
Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ Ibid.
intrà me ſunt, nomini ſancto eius.

COLLECTA.

DEus, qui miro ordine angelorum miniſteria hominumque diſpenſas, concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper adſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur: Per &c.

LECTIO APOC. I.

IN *diebus illis: Significauit Deus, quæ oportet fieri citò, loquens per angelum ſuum ſeruo ſuo Iohanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti in his quæcũque vidit. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in*

ea ſcripta ſunt. Tempus *enim propè eſt.* Iohannes *ſeptem* Eccleſijs, *quæ ſunt in* Aſia : Gratia *vobis et pax ab eo qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Ieſu* Chriſtô, *qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ : qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes* Deo *& patri ſuo.*

GRADVALE.

Pſal.102. BEnedicite Dominum omnes angeli eius, potentes virtute qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Pſal.

Ibid. Benedic anima mea Dominum, & omñia quæ intrà me ſunt, nomini ſancto eius.

Alleluia. Concuſſum eſt mare, & cõtremuit terra, vbi Michael archangelus deſcendebat de cælo.

SEQVENTIA.

SVmmi regis archangele Michael, Intende quæſumus noſtris precibus. Te nanq; profitemur eſſe ſupernorum ciuium principem. Tu Deum obſecra pro nobis, vt mittat auxilium miſeris. Principalis eſt poteſtas à Domino tibi data, peccantes ſaluificare animas. Idem tenes perpetui potentiam paradiſi : oẽs ciues te adorant ſuperi. Tu in templo Dei thuribulum aureum viſus es habuiſſe manibus : Indè ſcandẽs vapor aromate plurimo peruenit ante conſpectum Dei. Quandò cum dra-

cone magnum perfeciſti prælium, faucibus illius animas eruiſti plurimas. Hîc maximum agebatur in cælo ſilentium, millia millium dicebant, Salus regi Domino. Audi nos Michael, archangele ſumme, tu palàm deſcende de poli ſede, nobis ferendo opem Domini atque leuamen indulgentię. Tu noſtros Gabriel hoſtes proſterne. Tu Raphael ęgris affer medelam, morbos abſterge, noxas dilue, noſque fac intereſſe gaudijs beatorum.

EVANGELIVM MATTH. XVIII.

IN *illo tempore: Acceſſerunt ad* Ieſum *diſcipuli eius, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælum? Et aduocans* Ieſus *paruulum, ſtatuit eum in medio eorũ, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, Quicunque ergò humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum.* Et *qui ſuſceperit vnúm paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſè eſt enim vt veniãt ſcandala. Veruntamen væ homini illi, per quem ſcãdalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in*

ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi cum vno oculo ad vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte nè contemnatis vnum ex puſillis iſtis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt.

OFFERTORIVM.

Apoc. 8. STetit angelus Domini iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa, & aſſcendit fumus aromatum in conſpectu Dei.

COMMVNIO.

Dan. 3. BEnedicite omnes angeli Domini Domino, hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſecula.

Collect. de S. Hieronymo.

DEus, qui nobis per beatum Hieronymum confeſſorem ſacerdotemque tuum ſcripturæ ſanctæ veritatem & myſtica ſacramenta reuelare dignatus es: præſta, quæſumus, vt cuius natalitia colimus, eius ſemper erudiamur doctrinis, & meritis adiuuemur: Per &c.

IN FESTO S. GEREONIS.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

Deus tuorum militum. &c. Vt *ſuprà. pag.* 55.

AD MISSAM. INTROITVS.

Multæ

MVltæ tribulationes iuſtorum, & de ijs omnibus liberabit eos Dominus. Dominus cuſtodit oſſa eorum, vnum ex ijs nō conteretur. Pſal. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Pſal.33. Ibid.

COLLECTA.

DEus,qui hodiernam diem beatorum martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Caſſij & Florentij, ſociorumque eorum natalitio tuis fidelibus venerabilem prębuiſti: concede, quæſumus, vt ſicut eos per triumphum martyrij ad ſuperna cælorum gaudia tranſtuliſti, ità & nobis præmia largiaris æterna: Per Dominum noſtrum &c.

EPISTOLA APOC. VII.

IN diebus illis: Reſpondens vnus de ſenioribus, dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? et vndè venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, et lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius. Et qui ſedet in throno, habitat ſuper illos. Non eſurient, neque ſitiēt ampliùs, neq; cadet ſuper illos ſol, neq; vllus æſtus: quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum.

GRADVALE.

Pſal.33. TImete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timétibus eum. Verſ. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono.

Pſal.117. Alleluia. Verſ. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

SEQVENTIA.

MAieſtati ſacroſanctæ, militans cum triũphante iubilet Eccleſia, De triũpho Thebæorum, & ſalute peccatorum, per horũ ſuffragia. Hi ſunt viri teſtamenti, qui ruinam detrimenti reparant angelici. Viri fortes veri Dauid, quibus hoſtes expugnauit, carnem, mundum, dæmonem. Ciues domûs Pharaonis, ciuitatem viſionis viſitant & præſulem. A quo ſacri catechiſmi ſacramentis & baptiſmi imbuũtur gratia. Romæ fide confirmati, caſtra mouẽt, comitati Romanorum aquilas. Diis profanis immolari iubet Cæſar, & vocari Thebæorum agmina. Sed Thebæi viri Dei, quæ ſunt Dei, reddũt ei, Cæſari quæ Cæſaris. Bis viritìm decimati, ſummę libant maieſtati decimarum decimam. Demùm cunctis immolatis, in odorem ſuauitatis differuntur aliqui. Qui in partes diſtributi, diſtributi ſunt ſaluti plurium fidelium. In Verona, Agrippina & in Troia, loca trina conſecrant martyrio. Holocauſtum partiale, nulla tamen ſine ſale fœderis oblatio. Cum trecentis & bìs nonis, ſignat comes Gereonis Abrahę victoriam. Bìs quindenis & ter centum, duplex Victor teſta-

men-

mentum & crucis myſterium. Pius Caſſius cū ſeptenis, ſeptiformi dono plenus, dona ſancti pneumatis. Ieſu bone, cuius dona, noſtra bona, qui corona es tuorum militum, Hac patrona legione, nos in bonis ſummè bone loca potioribus. Vbì patris, vbì tui, & amoris ſacri frui mereamur gloria. Amen.

EVANGELIVM MATTH. V.

IN *illo tempore: Videns* Ieſus *turbas, aſcendit in montem. Et cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et aperiens os ſuū, docebat eos, dicens:* Beati *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnū cælorum.* Beati *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Beati *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Beati *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiā, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Beati *miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Beati *mūdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Beati *pacifici, quoniam filij* Dei *vocabuntur.* Beati *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiā, quoniam ipſorum eſt regnū cælorum.* Beati *eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos, mentiētes propter me. Gaudete in illa die & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

OFFERTORIVM.

MIrabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. Pſal. 67.

COMMVNIO.

Ioh.15. EGo vos elegi de mũdo, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

IN FESTO S. SEVERINI.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

Iſte confeſſor, Vt ſuprà.pag. 314.

INTROITVS MISSAE.

Eccl.45. STatuit ei Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum, vt ſit illi ſacerdotij
Pſal.88. dignitas in æternum. Pſal. Miſericordias Domini in æternum cantabo.

COLLECTA.

DEus, qui beatum Seuerinum confeſſorem tuum atque pontificem æternæ beatitudinis gloria ſublimâſti, concede propitius, vt cuius merita veneramur in terris, interceſſionis eius auxilio apud tuam miſericordiã muniamur in cælis.

ALIA.

DEus, qui nobis ſanctam huius diei ſolennitatem in honore ſancti Seuerini confeſſoris tui atque pontificis cõſecrâſti, adeſto familiæ tuæ precibus, & dona, vt cuius feſta celebramus, eius meritis & auxilio ſubleuemur: Per. &c.

EPISTOLA ECCL. XLIIII. & XLV.

Ecce ſacerdos &c. vt ſupr. in feſto S. Nicolai, pag. 315.

GRA-

GRADVALE.

INueni Dauid ſeruum meum, oleo ſanĉto vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei,& brachium meum confortabit eum. Verſ. Nihil proficiet inimicus in eo,& filius iniquitatis non nocebit ei. Pſal. 88.

Alleluia. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doĉtrina eius repleta eſt.

SEQVENTIA.

AD laudes ſaluatoris, vt mẽs incitetur humilis, Sentiat hũc diem iuſta de cauſa celebrem, Gaudeat & ſeſe ſic pia vota promere. Hodiè cælorum ſecreta petijt lux pontificum vel confeſſorum, Iugiter in choro ſanĉtorum ſplendens vt ſidus aureum. Et gaudium angelis faĉtum eſt ex aduentu comparis, Fuiſſe quem angelum Domini conſtat exercituum. Qui cuique ſuam tritici dans menſuram, Ad fidei caulas congregans ouiculas, lupi præuidit inſidias. Fidelis & prudẽs, credita diſtribuens, ſic dedit ad menſam Domini pecuniam, vt dignam faceret vſuram. Beatus hic ſeruus, quem, cùm venerit Dominus, ità inuenerit. Probatum in terra, ſuper omnia ſtatuet illum in patria. Ad tanti patris gloriam celebrandam clerus concinat laudem dignam, & populus lætis reſpondeat vocibus: Dicamus omnes cernui tanto patri, iungat ſe ſuo grex paſtori, & precibus fuſiſq; lachrymis clamemus:

mus: Paſtor bone, miſerere Eccleſiæ, tuisque precibus refoue. Confer opem plebi tuæ, preces intende, & pio iuuamine maculas dilue. In via nos adiuua, colloca in patria, redde quæ ſperamus bona.

EVANGELIVM LVC. XII.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectãtibus dominum ſuum: quandò reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulſauerit, confeſtìm aperiant ei: Beati ſunt ſerui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilãtes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamiliâs, qua hora fur veniret, vigilaret vtiquè, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideò & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

OFFERTORIVM.

Pſal. 88. VEritas mea & miſericordia mea cũ ipſo, & in nomĩe meo exaltabitur cornu eius.

COMMVNIO.

Mat. 24. Luc. 12. BEatus ſeruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

IN

ET IVDAE.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

Exultet cælum laudibus,&c. Vt ſup. pag 60.

COLLECTA.

COncede, quæſumus, omnipotens Deus, vt ſicut Apoſtolorum tuorum Simonis & Iudæ natalitia glorioſa præuenimus, ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam ipſi pro nobis prȩueniant: Per &c.

AD MISSAM INTROITVS.

Mihi autem &c. Vt ſuprà in feſto S. Iacobi.

COLLECTA.

DEus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem & Iudã ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis eorum gloriã ſempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, Per &c.

EPISTOLA ROM. VIII.

FRatres: *Scimus, quoniam diligẽtibus Deũ omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: Quos autem vocauit, hos & iuſtificauit: Quos autẽ iuſtificauit, hos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si* DEVS *pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio*

ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodò nõ etiam cũ illo omnia nobis donabit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis eſt qui cõdemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an perſecutio? an nuditas? an periculũ? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamnr tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſiõis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eũ, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neq; inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

Pſal. 44. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erũt nominis tui Domine. Verſ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi.

Acto. 5. Alleluia. Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.

SEQVENTIA.

Clare ſanctorum ſenatus Apoſtolorum, princeps orbis terrarum, rectorque &c. Vt ſuprà. pag. 373.

EVAN-

EVANGELIVM IOHAN. XV.

IN illo tempore: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicèm. Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorē vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus vtiquè quod ſuum erat, diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mūdus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciūt eum qui miſit me. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatū non haberent. Nunc autem excuſationem non habēt de peccato ſuo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderūt & me & patrem meum. Sed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerūt me gratis.

OFFERTOR.

IN omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. 18.

COMMVNIO.

VOs qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Matt. 19.

IN FESTO VNDECIM MILLIVM VIRGINVM.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

IEſu corona virginum,
Quę mater illa cõcipit,&c. Vt ſup.pa. 326.

AD MISSAM INTROITVS.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore ſanctarũ virginum, de quarum ſolennitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

Pſal.32.

COLLECTA.

DEus, qui dignè tibi ſacratis virginibus mirãdi agonis robur indidiſti, quo per martyrij palmam ad ſupernæ contemplationis pertingerent gloriam: da, quæſumus, earum interceſſionibus nos adiuuari, quas hodierno die, tranſcenſo mortis ſtadio, in cæleſtibus feciſti triumphare: Per &c.

EPIST. I. COR. VII.

FRatres: *De virginibus præceptũ* Domini *non habeo, conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à* Domino, *vt ſim fidelis.* Ex*iſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantem neceßitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* A*lligatus es vxori? noli quærere ſolutionẽ. Solũtus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccâſti.* E*t ſi nupſerit virgo, non peccauit. tribulationem tamẽ carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco.* Hoc *itaq;*

itaq; dico fratres. Tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tãquàm non habentes ſint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tãquàm non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur. præterit enim figura huius mundi. Volo autẽ vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autẽ cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

TImete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timẽtibus eum. Verſ. Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Pſal. 33.

Alleluia. Verſ. Adducẽtur regi virgines poſt eam, proximę eius offerentur tibi in lætitia. Pſal. 44.

SEQVENTIA.

VIrginalis turma ſexûs, IESV Chriſti quæ connexus dono ſentis gratiæ, Flos candoris tui rubet, trucidari dum te iubet tortor pudicitiæ. Britannorum inſulæ rector pater Vrſulæ, Deo notus claruit. Hãc Conanus virginem, propter pulchritudinem, patem tori voluit. Procos mittit & precatur, minis terret ſi ſpernatur, ſibi poſcẽs Vrſulam. Pater eius

iam

iam baptiſmi fonte lotus, paganiſmi prorsùs vitat copulam. Interim Vrſula Chriſti diſcipula docta per ſomnium, Statuit nuptias, quærens inducias trimatûs ſpatiū. Vice dotis coniugij, reginæ votis habiles, dato ſumptu nauigij, coæuæ dantur nobiles. Vndena demùm millia ſponſæ tranſmittit virginum, ducunt naues per maria, curam ſpernētes hominum. Aura flante leniùs, diſcedunt à littore: huc illucque ſæpiùs plano ludunt æquore. Hinc manus fœminea rexit, dante Domino, naues, quas Baſilea breui vidit termino. Relictis nauibus, ordinant acies, ventis ac æſtibus exponunt facies, & Romam adeunt. Per monaſteria fundentes lachrymas trahūt ſuſpiria, commendant animas ſanctis, & redeunt. Quam in portu reliquerunt claſſem, ſimul inuenerunt: clarum flumen & amœnum nauigantes, intrant Rhenum per Dei clemētiam. Hinc ad locum paſſionis duxit eas dux agonis: florem ſuæ iuuentutis paruipendunt ſpe ſalutis, euntes Coloniam. O felix Colonia, iuxta cuius mœnia Barbarorum rabies Enſes, tela, frameas, cultros in virgineas cruentauit acies. Felicia ſunt virginum cōnnubia tot millium, agnumque ſine macula, duce ſequuntur Vrſula. Quarum orationibus felices cum felicibus pace fruamur ſedula, per ſeculorum ſecula. Amen.

EVANGELIVM MATTH. XXV.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, &c. Vt ſuprà, pag. 329.

OFFERTORIVM.

OFferentur regi virgines, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Domino. Pſal. 44.

COMMVNIO.

QVinque prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lãpadibus: mediaautem nocte clamor factus eſt, Eccè ſponſus venit, exite obuiàm Chriſto Domino. Matt. 25.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

IN I. VESPERIS HYMNVS.

CHriſte redemptor omnium,
Conſerua tuos famulos,
Beatæ ſemper virginis
Placatus ſanctis precibus.
Beata quoquè agmina
Cæleſtium ſpirituum,
Præterita, præſentia,
Futura mala pellite.
Vates æterni iudicis,
Apoſtoliq; Domini,
Suppliciter expoſcimus

Saluari veſtris precibus.
Martyres Dei inclyti,
Confeſſoresq; lucidi,
Veſtris orationibus
Nos ferte in cæleſtibus.
Chori ſanctarum Virginum
Monachorumq; omnium,
Simul cum Sanctis omnibus,
Conſortes Chriſti facite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Vt Chriſto laudes debitas
Perſoluamus alacriter.
Gloria Patri ingenito,
Eiuſq; vnigenito,
Vnà cum ſancto Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

AD LAVDES. HYMNVS.

IESV *ſaluator ſeculi,*
Redemptis ope ſubueni,
Et pia Dei genitrix,
Salutem poſce miſeris.
Cœtus omnes angelici,
Patriarcharum cunei,
Et prophetarum merita,
Nobis precentur veniam.
Baptiſta Chriſti præuius,

Et clauiger æthereus,
Cum cæteris Apoſtolis,
Nos ſoluant nexu criminis.
Chorus ſacratus martyrum,
Confeſſio ſacerdotum,
Et virginalis caſtitas,
Nos à peccatis abluant.
Monachorum ſuffragia,
Omnesq; ciues cœlici,
Annuant votis ſupplicum,
Et vitæ poſcant præmium.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri & filio,
Vnà cum ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula, Amen.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diē feſtum celebrantes in honore ſanctorū omnium, de quorum ſolennitate gaudent angeli, & collaudāt filium Dei. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Pſal. 32.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui nos omnium ſanctorum tuorum merita ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus, largiaris.

ALIA.

DEus, qui nos beati Cæſarij martyris tui annua ſolennitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actus imitemur: Per &c.

LECTIO APOC. VII.

ECcè, ego Iohannes vidi alterum angelum aſſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoadusquè ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Et ego Ioannes audiui numerum ſignatorum, centum quadragintaquatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati. Ex tribu Gad, duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim millia ſignati. Ex tribu Neptalim, duodecim millia ſignati. Ex tribu Manaſſæ, duodecim millia ſignati. Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Leui, duodecim millia ſignati. Ex tribu Iſachar, duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtãtes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſto-

lis

lis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

GRADVALE.

Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Verſ. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Pſal. 33.

SEQVENTIA.

Omnes ſancti Seraphin, Cherubin, Throni quoquè, Dominationesque, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Archangeli, Angeli, vos decet laus & honores. Ordines noueni ſpirituum beatorum, Quos in Dei laudibus firmauit charitas, Nos fragiles homines firmate precibus, Vt ſpiritales prauitates veſtro iuuamine vincentes fortiter, Nunc & in æuum veſtris ſimus digni ſolennibus intereſſe ſacris. Vos, quos Dei gratia vincere terrea, Et angelis ſocios fecit eſſe polo. Vos patriarchæ, prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Monachi, Virgines, Et viduarum ſanctarū omniumque placentium populus ſupremo Domino, Nos adiutorium nunc & perenniter Fo-

ueat, protegat vt veſtrum, in die poſtimus gaudiorum veſtrorum.

EVANGELIVM MATTH. V.

IN *illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem. Et cum ſediſſet, &c.* *pag.* 407.

OFFERTORIVM.

Pſal. 67. MIrabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus.

COMMVNIO.

Pſal. 32. GAudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

IN COMMEMORATIONE ANIMARVM.

AD MISSAM INTROITVS.

REquiem æternam dona eis Domine, &
Pſal. 56. lux perpetua luceat eis. Pſal. Miſerere meî Deus, miſerere meî: quoniam in te confidit anima mea.

COLLECTA.

FIdelium Deus omnium cōditor & redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiā quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas.

EPIST. I. THESSAL. IIII.

Nolu

Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini: ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ità & Deus eos qui dormiêrunt per Ieſum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Chriſto in aera: & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini inuicèm in verbis iſtis, In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Verſ. Animæ eorum in bonis demorentur: & ſemen eorum hæreditabit terram. Pſal. 24.

TRACTVS.

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal. 129.

SEQVENTIA.

Audi tellus, audi magni maris nimbus: Audi omne quod viuit ſub ſole, huius mūdi decus & gloria, tam ſunt falſa & tranſitoria, Vt teſtantur hęc temporalia, non in vno ſtatu manentia. Nihil prodeſt genus nec ſpecies,

mus: Paſtor bone, miſerere Eccleſiæ, tuiſque precibus refoue. Confer opem plebi tuæ, preces intende, & pio iuuamine maculas dilue. In via nos adiuua, colloca in patria, redde quæ ſperamus bona.

EVANGELIVM LVC. XII.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectãtibus dominum ſuum, quandò reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei: Beati ſunt ſerui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilãtes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamiliàs, qua hora fur veniret, vigilaret vtiquè, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideò & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

OFFERTORIVM.

Pſal. 88. VEritas mea & miſericordia mea cũ ipſo, & in nomĩe meo exaltabitur cornu eius.

COMMVNIO.

Mat. 24. Luc. 12. BEatus ſeruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

IN

IN FESTO SIMONIS ET IVDAE.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

Exultet cælum laudibus,&c. Vt ſup. pag 60.

COLLECTA.

COncede, quæſumus,omnipotens Deus, vt ſicut Apoſtolorum tuorum Simonis & Iudæ natalitia glorioſa præuenimus, ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam ipſi pro nobis prçueniant: Per &c.

AD MISSAM INTROITVS.

Mihi autem &c. Vt ſuprà in feſto S. Iacobi.

COLLECTA.

DEus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem & Iudã ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis eorum gloriã ſempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, Per &c.

EPISTOLA ROM. VIII.

FRatres: *Scimus, quoniam diligẽtibus* Deũ *omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: Quos autem vocauit, hos & iuſtificauit: Quos autẽ iuſtificauit, hos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si* DEVS *pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio*

ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodò nō etiam cū illo omnia nobis donabit? Quis accuſabit aduersùs electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis eſt qui cōdemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an perſecutio? an nūditas? an periculū? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamnr tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſiōis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eū, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neq; inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

Pſal. 44. COnſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erūt nominis tui Domine. Verſ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi.

Acto. 5. Alleluia. Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.

SEQVENTIA.

CLare ſanctorum ſenatus Apoſtolorum, princeps orbis terrarum, rectorque &c. Vt ſuprà. pag. 373.

EVAN-

EVANGELIVM IOHAN. XV.

IN illo tempore: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicèm. Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorẽ vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus vtiquè quod ſuum erat, diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mũdus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciũt eum qui miſit me. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatũ non haberent. Nunc autem excuſationem non habẽt de peccato ſuo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderũt & me & patrem meum. Sed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerũt me gratis.

OFFERTOR.

IN omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. 18.

COMMVNIO.

VOs qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Matt. 19.

IN FESTO VNDECIM MILLIVM VIRGINVM.

IN PRIMIS VESPERIS

HYMNVS.

IEſu corona virginum,
Quę mater illa cōcipit, &c. Vt ſup. pa. 326.

AD MISSAM INTROITVS.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore ſanctarū virginum, de quarum ſolennitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.
Pſal. 32.

COLLECTA.

DEus, qui dignè tibi ſacratis virginibus mirādi agonis robur indidiſti, quo per martyrij palmam ad ſupernæ contemplationis pertingerent gloriam: da, quæſumus, earum interceſſionibus nos adiuuari, quas hodierno die, tranſcenſo mortis ſtadio, in cæleſtibus feciſti triumphare: Per &c.

EPIST. I. COR. VII.

FRatres: De virginibus præceptū Domini non habeo, conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionē. Solūtus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccâſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. tribulationem tamē carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc

itaq;

itaq; dico fratres. Tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tãquàm non habentes ſint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tãquàm non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur. præterit enim figura huius mundi. Volo autẽ vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autẽ cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timẽtibus eum. Verſ. Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Pſal. 33.

Alleluia. Verſ. Adducẽtur regi virgines poſt eam, proximę eius offerentur tibi in lætitia. Pſal. 44.

SEQVENTIA.

Virginalis turma ſexûs, I E S V Chriſti quæ connexus dono ſentis gratiæ, Flos candoris tui rubet, trucidari dum te iubet tortor pudicitiæ. Britannorum inſulæ rector pater Vrſulæ, Deo notus claruit. Hãc Conanus virginem, propter pulchritudinem, patem tori voluit. Procos mittit & precatur, minis terret ſi ſpernatur, ſibi poſcẽs Vrſulam. Pater eius

iam

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, &c. Vt ſuprà, pag. 329.

OFFERTORIVM.

OFferentur regi virgines, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Domino. Pſal. 44.

COMMVNIO.

QVinque prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lãpadibus: media autem nocte clamor factus eſt, Eccè ſponſus venit, exite obuiàm Chriſto Domino. Matt. 25.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

IN I. VESPERIS HYMNVS.

CHriſte redemptor omnium,
Conſerua tuos famulos,
Beatæ ſemper virginis
Placatus ſanctis precibus.
Beata quoquè agmina
Cæleſtium ſpirituum,
Præterita, præſentia,
Futura mala pellite.
Vates æterni iudicis,
Apoſtoliq; Domini,
Suppliciter expoſcimus

DD *Salua-*

Saluari veſtris precibus.
Martyres Dei inclyti,
Confeſſoresq́; lucidi,
Veſtris orationibus
Nos ferte in cæleſtibus.
Chori ſanctarum Virginum
Monachorumq́; omnium,
Simul cum Sanctis omnibus,
Conſortes Chriſti facite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Vt Chriſto laudes debitas
Perſoluamus alacriter.
Gloria Patri ingenito,
Eiusq́; vnigenito,
Vnà cum ſancto Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

AD LAVDES HYMNVS.

IESV *ſaluator ſeculi,*
Redemptis ope ſubueni,
Et pia Dei genitrix,
Salutem poſce miſeris.
Cœtus omnes angelici,
Patriarcharum cunei,
Et prophetarum merita,
Nobis precentur veniam.
Baptiſta Chriſti præuius,

Et clauiger æthereus,
Cum cæteris Apoſtolis,
Nos ſoluant nexu criminis.
Chorus ſacratus martyrum,
Confeßio ſacerdotum,
Et virginalis caſtitas,
Nos à peccatis abluant.
Monachorum ſuffragia,
Omnesq; ciues cælici,
Annuant votis ſupplicum,
Et vitæ poſcant premium.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri & filio,
Vnà cum ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula, Amen.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diē feſtum celebrantes in honore ſanctorū omnium, de quorum ſolennitate gaudent angeli, & collaudāt filium Dei. Pſal. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Pſal. 32.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui nos omnium ſanctorum tuorum merita ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus, largiaris.

ALIA.

DEus, qui nos beati Cæſarij martyris tui annua ſolennitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actus imitemur: Per &c.

LECTIO APOC. VII.

ECcè, ego Iohannes vidi alterum angelum aſſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoadusquè ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Et ego Ioannes audiui numerum ſignatorum, centum quadragintaquatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati. Ex tribu Gad, duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim millia ſignati. Ex tribu Neptalim, duodecim millia ſignati. Ex tribu Manaſſe, duodecim millia ſignati. Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Leui, duodecim millia ſignati. Ex tribu Iſachar, duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtãtes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis

lis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo *noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno.* Et *omnes angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt* Deum*, dicentes:* Amen. *Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum,* Amen.

GRADVALE.

TImete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Verſ. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Pſal. 33.

SEQVENTIA.

OMnes ſancti Seraphin, Cherubin, Throni quoquè, Dominationesque, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Archangeli, Angeli, vos decet laus & honores. Ordines noueni ſpirituum beatorum, Quos in Dei laudibus firmauit charitas, Nos fragiles homines firmate precibus, Vt ſpiritales prauitates veſtro iuuamine vincentes fortiter, Nunc & in æuum veſtris ſimus digni ſolennibus intereſſe ſacris. Vos, quos Dei gratia vincere terrea, Et angelis ſocios fecit eſſe polo. Vos patriarchæ, prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Monachi, Virgines, Et viduarum ſanctarũ omniumque placentium populus ſupremo Domino, Nos adiutorium nunc & perenniter Fo-

ueat, protegat vt veſtrum, in die poſcimus gaudiorum veſtrorum.

EVANGELIVM MATTH. V.

IN *illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſſcendit in montem. Et cum ſediſſet, &c. pag.* 407.

OFFERTORIVM.

Pſal. 67. MIrabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus.

COMMVNIO.

Pſal. 32. GAudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

IN COMMEMORATIONE ANIMARVM.

AD MISSAM INTROITVS.

REquiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Pſal. Miſerere mei

Pſal. 56. Deus, miſerere meî: quoniam in te confidit anima mea.

COLLECTA.

FIdelium Deus omnium cõditor & redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiã quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas.

EPIST. I. THESSAL. IIII.

Nolu

Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini: ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ità & Deus eos qui dormièrunt per Ieſum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: Deindè nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Chriſto in aera: & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini inuicèm in verbis iſtis, In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

GRADVALE.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Verſ. Animæ eorum in bonis demorentur: & ſemen eorum hæreditabit terram. Pſal. 24.

TRACTVS.

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſal. 129.

SEQVENTIA.

Audi tellus, audi magni maris nimbus: Audi omne quod viuit ſub ſole, huius mūdi decus & gloria, tam ſunt falſa & tranſitoria, Vt teſtantur hęc temporalia, non in vno ſtatu manentia. Nihil prodeſt genus nec ſpecies,

 nihil,

nihil valet auri congeries. Nihil enim regalis dignitas, nihil valet corporis quantitas. Cum Helena Paris pulcherrimus, ac Achilles vir magnanimus. Vbì Plato? vbì Porphyrius? vbì Tullius & Virgilius: Vbì Thales? vbì Empedocles ac egregius Ariſtoteles? Alexander vbì rex maximus? vbì Hector Troiæ fortiſſimus? Vbì Sampſon vir duriſſimus? vbi Salomon prudentiſſimus? Vbì Nero? vbì Pompeius? vbì Abſolon vir pulcherrimus? Tranſiêrunt leges mortalium, per vnius momenti ſpatium. Ceciderunt in profundum vt lapides, quis ſcit an detur eis requies. O tu Deus rector fidelium, fac te nobis ſemper propitium, cùm de malis fiet iudicium, In die illa tremēda, quandò cæli mouendi ſunt & terra, Amen.

EVANGELIVM IOHAN. XI.

IN *illo tempore*: Dixit Martha ad IESVM, Domine, *ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus*. Sed *nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à* Deo, *dabit tibi* Deus. Dicit illi IESVS: *Reſurget frater tuus*. Dicit ei Martha: *Scio, quia reſurget in nouiſſimo die*. Dicit ei IESVS: *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet*. Et *omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum*. Credis hoc? Ait illi: *Vtiquè* Domine. *Ego credidi quia tu es Chriſtus filius* Dei *viui, qui in hunc mundum veniſti*.

OFFER-

OFFERTORIVM.

DOmine Ieſu Chriſte rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum, de manu inferni & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, nè abſorbeat eas tartarus, nè cadant in obſcura: ſed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius. Verſ. Requiem æternam &c.

COMMVNIO.

ABſolue Domine animas eorum ab omni vinculo delictorum, vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitati, reſpirent. Verſ. Requiem æternam, &c.

IN FESTO S. MARTINI.

IN PRIMIS VESPERIS,

HYMNVS.

Iſte confeſſor Domini ſacratus, &c. pag. 314.

COLLECTA.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: concede propitius, vt interceſſione beati Martini confeſſoris tui atque pontificis contra omnia aduerſa muniamur: Per &c.

Alia eodem die.

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus, vt qui beati Mennę martyris tui natalitia co-

limus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur: Per eundem &c.

INTROITVS MISSAE.

Eccl.45. STatuit ei Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum, vt ſit illi ſacerdotij dignitas &c. Vt ſuprà in feſto S.Seuerini pag. 408.

COLLECTA.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute &c. Vt ſuprà iam dicta pag. 425.

EPISTOLA ECCL. XLIIII. & XLV.

ECcè ſacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus, &c. pag. 315.

GRADVALE.

Pſal.109. IVrauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecūdùm ordinem Melchiſedech. Verſ. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.

Alleluia. Verſ. Martinus Epiſcop' migrauit à ſeculo, viuit in Chriſto gemma ſacerdotum.

SEQVENTIA.

SAcerdotem Chriſti Martinum cuncta per orbē canat Eccleſia pacis catholicæ, Atque illius nomen omnis hæreticus fugiat pallidus. Pannonia lætetur, genitrix talis filij: Italia exultet, alitrix tanti iuuenis: Et Galliæ trina diuiſio ſacro certet litigio, cuius eſſe debeat preſul, Sed pariter habere ſe patrem oēs gau-

gaudeant, Turoni ſoli eius corpus foueant. Huic Francorum atq; Germaniæ omnis plebs plaudat, Quibus vidēdum inuexit Dominum in ſua veſte. Hic celebris eſt Aegypti patribus, Græciæ cunctis quoquè ſapientibus, Qui impares ſe Martini meritis ſentiunt atque eius medicamini. Nam febres ſedat, dæmonesq́ue fugat, paralytica membra glutinat, Et mortuorum ſua prece trium reddit corpora vitæ priſtinæ. Hic ritus ſacrilegos deſtruit, & ad Chriſti gloriam dat ignibus idola. Hic nudis myſteria brachijs conficiens, præditus eſt cæleſti lumine. Hic oculis ac manibus in cęlum, & totis viribus ſuſpenſus, terrena cuncta reſpuit. Eius ori nunquàm Chriſtus abfuit, ſiue iuſtitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Igitur te cuncti poſcimus ô Martine, vt qui multa mira hîc oſtendiſti, Etiam de cælo gratiam Chriſti nobis ſupplicatu tuo ſemper infundas. Amen.

EVANGELIVM LVC. XII.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, &c. pag.410.

OFFERTORIVM.

VEritas mea & miſericordia mea cū ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

COMMVNIO.

SInt lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.

DE

DE SANCTO CVNIBERTO.

O Verè magnificum Chriſti præſulem Cunibertum, quem innocentia puerili igne cæleſti dignum ſacris officijs Dominus declarauit, & ſummo pontificio ſublimatum columba ſuper ipſum apparente, Spiritum ſanctum in eo aduenisſe & manſiſſe edocuit. Verſ. Amauit eum Dominus & ornauit eum, & ad portas paradiſi coronauit eum.

COLLECTA.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Cunibertum miniſtrum conceſſiſti, præſta, quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem ſemper habere mereamur in cælis.

INTROITVS MISSAE.

STatuit ei Dominus teſtamentum pacis, &c. Vt ſuprà in feſto S. Seuerini. pag. 408.

COLLECTA.

SAncti Cuniberti ſacerdotis & confeſſoris tui Domine veneranda hodiernæ feſtiuitatis die illuminati congratulari lætamur: concede propitius dignis eius precibus exoratus, vt ſalutis quam docuit viam, imitando ſectemur: Per &c.

Cætera vt ſuprà de Confeſſ. aut Epiſc.

IN

IN FESTO PRÆSENTATIONIS MARIAE.

In primis veſperis Hymnus.

Aue maris ſtella, vt ſuprà, pag. 319.

COLLECTA.

DEus, qui vnigeniti tui mox futuram matrem virginem Mariam, in templum trimam hodierna die præſentari voluiſti, & per ipſam eundem tuum natum Simeoni præſentâſti: largire ſupplicibus tuis, vt qui præſentationem eiuſdem virginis veneramur in terris, illi mereamur, ipſa patrocinante, præſentari in cælis: Per &c. Luc. 2.

ALIA.

ADeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, nec nos vllis mentis & corporis patiaris ſubiacere periculis, quos beati Columbani Abbatis muniuit glorioſa confeſſio: Per eundem &c.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Mariæ virginis, de cuius præſentatione gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Pſal. 44.

COLLECTA.

DEus, qui vnigeniti tui mox futurã matrem virginem &c. Vt ſuprà in 1. Veſperis.

LE-

LECTIO CCC. XXIIII.

Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem. &c. pag. 331.

GRADVALE.

BEnedicta & venerabilis es virgo Maria, quę ſine tactu pudoris inuenta es mater ſaluatoris. Verſ. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Alleluia. Felix virgo, quæ nondū edita matris aluo, repletur gratia, & in templo Dei repoſita, illuſtratur ſumma peritia.

SEQVENTIA.

ALtiſſima prouidente cunctis recte diſponente Dei ſapientia, Vno nexu coniugatis Ioachim & Annæ gratis iuga ſunt ſterilia. Ex cordis affectu toto, Domino fideli voto ſe ſtrinxerunt pariter, Mox ſi prolem illis dare dignetur, hanc dedicare in templo perenniter. Angelus apparuit lucidus, qui docuit exaudita vota, Regis ſummi gratia, vt detur eis filia gratioſa tota. In vtero conſecrata, miro modo generata, gignit mirabiliùs Altiſſimi patris natum, virgo manens, qui reatū mundi tollit gratiùs. Benedicta virgo nata, templo trima præſentata, & ter quinis gradibus Arcam velox mox aſſcendit, & vterque parens tendit ornando ſe veſtibus. Noua fulſit gloria, templo Dei eximia virgo præſentatur. Edocta diuiniùs, viſitata cęlitùs angelis lętatur. Tum vt nubat iubet, multis princeps puellis adultis;

adultis: primò virgo rennuit. Ipſam nanque deuouêre parentes, ipſa manere virgo voto ſtatuit. Conſultus Deus, reſponſum dat, vt virgo ſumat ſponſum, quem prodit flos editus. Oſtenſus Ioſeph, puellam ad parentum duxit cellam, nuptijs ſollicitus. Tunc Gabriel ad virginem ferens conceptus ordinem, delegatur. Erudita, ſtat tacita: verba quàm ſint inſolita, meditatur. At cùm ille tradidit modum, virgo credidit: ſicque ſacro flamine Mox verbũ concipitur, & quod nuſquam clauditur, conditur in virgine. Ecce virgo ſingularis, quanta laude ſublimaris? quanta fulges gloria? Nos ergò ſic tu tuearis, vt fructu quo gloriaris, fruamur in patria. Luc.1.

EVANGELLIVM MATTH. I.

Liber generationis Ieſu Chriſti, &c. pag. 322.

OFFERTORIVM.

Felix nanque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.

COMMVNIO.

Beata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni patris filium.

DE SANCTA CÆCILIA.

Virgo glorioſa ſemper Euãgelium Chriſti gerebat in pectore ſuo, nõ diebus neq; noctibus

ctibus à colloquijs diuinis & oratione ceſſabat. Verſ. Specie tua & proſperitate tua intende proſperè, procede & regna.

Pſal.44.

COLLECTA.

DEus, cui beatæ Cæciliæ ità caſtitatis deuotio complacuit, vt coniugem ſuum Valerianum affinemque eius Tiburtium tibi fecerit conſecrari: tribue, quæſumus, vt ipſa pro nobis intercedente, beneficia tui muneris percipere mereamur: Per &c.

INTROITVS MISSAE.

Pſal.118. LOquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar, & meditabar
Ibid. in mandatis tuis quæ dilexi nimis. Pſal. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

COLLECTA.

DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ martyris tuæ ſolennitate lætificas, da vt quam veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exemplo: Per &c.

GRADVALE.

Pſal.44. AVdi filia & vide, & inclina aurem tuam, quia concupiuit rex ſpeciem tuam. Verſ. Specie tua & proſperitate tua intende proſperè, procede & regna.

Alleluia. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

SEQVENTIA.

Gaude

GAude cæleſtis ſponſa, ſummi regis iam templum ingreſſa, Ad regale quoq; conuiuium ducta, Et mox intratura cubilis ſecreta ſemper virgo Maria. Filius regis amator caſtitatis, ſeruat locum pudoris. Huic ſponſo venienti virgines omnes obuiate. Ferte lampades iam ardentes in vaſis oleum ſimul deferentes, Et regium feſtinantes adornate thalamum, Et regi regum decantate canticum ſolis virginibus decantandum. Ianua patet, quæ paratæ ſunt, intrent: Cùm ſpõſus venit, quis eum ſequi poſſit, omnis virgo memor ſit. Ad talia tu nos gaudia perduc Chriſte redemptos, per te memor ſponſæ, iungens illi ſperantes in te.

EVANGELIVM MATT. XXV.

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. &c. vt ſup. pag. 329.

OFFERTORIVM.

OFferentur regi virgines, proximę eius offerentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Domino. Pſal. 44.

COMMVNIO.

COnfundãtur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me, ego autem in mandatis tuis exercebar, in tuis iuſtificationibus, vt non confundar. Pſal. 118.

In 2. Veſperis Hymnus.

IESV *corona virginum. vt ſup. pag.* 326.

DE S. CLEMENTE.

EE Omni-

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium ſanctorum tuorum virtute es mirabilis, da nobis in beati Clementis martyris tui atque Pontificis annua ſolennitate lætari, qui filij tui martyr & pontifex, quod miniſterio geſſit, teſtimonio comprobauit: quod prædicauit ore, confirmauit exemplo. Per &c.

IN FESTO S. CATHARINAE.

INTROITVS MISSAE.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore ſanctæ Catharinæ, de cuius ſolennitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Pſal. Exultate iuſti in Dño, rectos decet collaudatio.
Pſal. 32.

COLLECTA.

DEus, qui dediſti legem Moiſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis ac martyris tuæ mirabiliter collocaſti: præſta, quæſumus, vt eius meritis & interceſſione ad montem, qui Chriſtus eſt, peruenire valeamus. Per &c.

LECTIO SAP. VII. ET VIII.

SApientia vincit malitiam: attingit ergò à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei, ſed & omnium Dominus dis

dilexit illam: Doctrix eſt enim diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.

GRADVALE.

DIffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Verſ. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiã, & deducet te mirabiliter dextera tua. Pſal. 44.

Alleluia. Verſ. Regis Coſti filia manũ miſit ad fortia, dum obtinuit victoriam, quæ palam Chriſti gloriam prædicauit.

EVANGELIVM MATT. XXV.

SImile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ acceptis lampadibus &c. vt ſup. pag. 329.

OFFERTORIVM.

FIliæ regum in honore tuo: adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Pſal. 44.

COMMV.

DIlexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea benedixit te Deus in æternum. Ibid.

OFFICIVM COMMVNE DE BEATA MARIA VIRGINE.

INTROITVS MISSAE.

SAlue ſancta parens, enixa puerpera Regem, qui cælum terramque regit in ſecula ſeculorum. Pſal. Sentiant omnes tuum leuamen quicunque celebrant tuam commemorationem. Gloria Patri & filio &c.

COLLECTA.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus noſter, perpetua mentis & corporis proſperitate gaudere, & glorioſæ beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia, Per CHRISTVM Dominum noſtrum. Amen.

EPISTOLA ECCLESIAS. XXIIII.

AB initio & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum nõ deſinam: & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato: & in partes Dei mei hæreditas illius: Et in plenitudine ſanctorum detentio mea.

GRADVALE.

BEnedicta & venerabilis es virgo MARIA, quæ ſine tactu pudoris inuenta es mater Saluatoris. Verſ. Virgo DEI genitrix quẽ totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Alleluia. Sancta Dei genitrix virgo ſemper Maria, intercede pro nobis ad Dominum IESVM CHRISTVM.

SEQVENTIA.

AVe præclara maris ſtella, in lucem gentiũ MARIA diuinitùs orta. Eugè Dei porta, quæ non aperta, veritatis lumen, ipſum ſolem

lem iuſtitiæ, indutum carne, ducis in orbem. Virgo decus mundi, Regina cæli, præelecta vt ſol, pulchra lunaris vt fulgor, agnoſce omnes te diligentes. Te plenam fide virgam almæ ſtirpis Ieſſe naſcituram, priores deſiderauernut patres & prophetæ. Te lignum vitæ, ſancto rorante pneumate, parituram diuini floris amygdalū ſignauit Gabriel. Tu agnum regem terræ dominatorem Moabitici de petra deſerti, ad montem filiæ Sion traduxiſti. Tuq; furentem Leuiathan ſerpentem tortuoſumque ad vectem collidens, damnoſo crimine mundū exemiſti. Hinc gentium nos reliquiæ tuæ ſub cultu memoriæ, mirum in modum quem es enixa propitiationis agnū, regnantem cælo æternaliter, reuocamus ad aram mactandum myſterialiter. Hinc manna verū Iſraelitis veris, veri Abrahæ filijs admirantibus, quondam Moiſi quod typus figurabat, iam nunc abducto velo datur perſpici. Ora virgo nos illo pane cæli dignos effici. Fac fontem dulcem quem in deſerto petra præmonſtrauit, deguſtare cum ſincera fide, renesque conſtringi lotos in mari, anguem æneum in cruce ſpeculari. Fac igni ſancto, Patrisque verbo, quod rubus vt flammam tu portâſti virgo mater facta, pecuali pelle diſcinctos pede, mūdis labijs, cordeq; propinquare. Audi nos: nam te Filius nihil negans honorat. Salua nos IESV, pro quibus virgo mater te orat. Fac fontem boni viſere, da puros mentis ocu-

los in te defigere: Quô hauſto ſapientiæ ſaporem vitæ valeat mens intelligere, Chriſtianiſmi fidem operibus redimere, beatoque fine ex huius incolatu ſeculi Authore ad te tranſire. Amen.

ALIA.

VErbum bonum & ſuaue, perſonemus illud Aue, per quod CHRISTI fit conclaue, virgo mater filia. Per quod Aue ſalutata, mox concepit fœcundata, virgo Dauid ſtirpe nata, inter ſpinas lilia. Aue veri Salomonis mater, vellus Gedeonis, cuius Magi tribus donis laudant puerperium. Aue ſolem genuiſti, aue prolem protuliſti, mundo lapſo contuliſti vitam & imperium. Aue ſpōſa verbi ſummi, maris portus, ſignum dumi, aromatum virga fumi, Angelorum Domina. Supplicamus nos emenda, emendatos nos commenda tuo nato ad habenda ſempiterna gaudia. Amen.

EVANGELIVM LVCAE xi.

IN illo tempore: Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit ad IESVM: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimmò, Beati qui audiunt verbum* DEI *& cuſtodiunt illud.*

OFFERTORIVM.

REcordare virgo mater dum ſteteris in cōſpectu Dei, vt loquaris pro nobis bona, & vt auertas indignationem ſuam à nobis.

COMMVNIO.

Aue

AVe Regina cęlorum, mater regis Angelorum: O MARIA flos virginum, velut roſa vel lilium: funde preces ad Filium pro ſalute fidelium.

ANTIPHONAE COMMVNES DE B. MARIA VIRGINE CVM COLLECTIS AD *Completorium.*

Ab Aduentu Domini vſque ad Purificationem.

ALma redemptoris mater, quæ peruia cæli
Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuiſti,
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem,
Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.
Verſ. Angelus Domini nunciauit Mariæ.
Reſp. Et concepit de Spiritu ſancto.

COLLECTA.

GRatiam tuam, quæſumus Dñe, mentibus noſtris infunde: vt qui Angelo nunciante Chriſti filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem.

ALIA.

DEVS, qui ſalutis æternæ B. Mariæ virginitate fœcuda generi humano præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus

muſauthorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium tuum.

AB FESTO PVRIFICATIONIS VSQVE AD FERIAM V. in cœna Domini.

AVe regina cælorum,
Aue Domina Angelorum.
Salue radix ſancta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude glorioſa,
Super omnes ſpecioſa
Vale valdè decora,
Et pro nobis ſemper Chriſtum exora.
Verſ. Dignare me laudare te virgo ſacrata:
Reſp. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

COLLECTA.

COncede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium: vt qui ſanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, interceſſionis eius auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per Dominum.

TEMPORE PASCHALI.

Regina cæli lætare, vt ſup. pag. 178.

AB OCTAVA PENTECOSTES *vſque ad Aduentum.*

SAlue Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filij Euæ, Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergò

gò aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte: Et IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende, O clemens, O pia, O dulcis virgo Maria.

Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.

Reſp. Vt digni efficiamur promiſſionibus CHRISTI.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante, præparâſti: da vt cuius commemoratione lætamur, eius pia interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Dominum.

SEQVENTIAE COMMVNES.

DE APOSTOLIS.

Clare ſanctorum, ſenatus Apoſtolorum. Vt ſup. pag. 373.

DE EVANGELISTIS.

Iucundare plebs fidelis &c. vt ſup. pag. 397.

DE MARTYRIBVS.

AGone triumphali militum regis ſummi, dies iſte celebris Eſt populis, Chriſto Regi credulis. Hi delectamentum reſpuerant mundanorum, Et crucem tunc turpem quo-

tidiè baiularũt. Hos nullius feritas à CHRISTO ſeparat, Quin ad eum mortibus millenis properent: Non carcer vllus, aut catena mollium fortia in CHRISTO pectora, Sed nec ferarum morſus diri, martyrum ſolidum excauant animum. Non imminens capiti gladius territat Fortiſſimos milites optimi Domini. Nunc manu Dei complexi, perſequentium inſultant furoribus quondàm crudelibus, Et plebi Chriſti ſolamen ſuppeditant in cunctis laboribus lubrici ſeculi. Vos Chriſti martyres, Nos valdè fragiles, Precibus nos iuſto iudici ſinceris iugiter commendate. Amen.

ALIA.

O Beata beatorum Martyrum ſolennia, O deuotè recolenda victorum certamina, Digni dignis fulgent ſignis, & florent virtutibus. Illos ſemper condecenter veneremur laudibus. Fide, voto, corde toto adhæſerunt Domino, Et inuicti ſunt addicti atroci martyrio. Carcerati, trucidati, pertulerunt plurima, Igne læſi, ferro cæſi, tormentorum genera. Dum ſic torti, cedunt morti, carnis per interitum, vt electi ſunt adepti beatorum præmia. Per contemptum mundanorum, & per bella fortia, meruerunt angelorum victores conſortia. Ergò facti cohæredes Chriſti in cæleſtibus, Apud ipſum vota noſtra promouete precibus: vt poſt huius finem

vitæ,

vitæ, & poſt tranſitoria In perenni mereamur exultare gloria. Amen.

DE CONFESSORIBVS.

Ad laudes Saluatoris, vt ſup. pag. 409.

DE VIRGINIBVS.

Gaude cæleſtis ſponſa. vt ſup. pag. 433.

DE PATRONIS COLONIENSIBVS.

GAude felix Agrippina, ſanctaque Colonia, Sanctitatis tuæ bina gerens teſtimonia. Poſtquam fidem ſuſcepiſti, ciuitas prænobilis, Recidiua non fuiſti, ſed in fide ſtabilis. Gereonis cum bis nonis trecentena concio, Et Maurorum trecentorum ſexaginta paſſio, Te tinxerunt & ſanxerunt: virginumque millium Vndenorum & decorum exornat martyrium. Seuerinus, Cunibertus, Euergislus inclyti: Agilolphus, Heribertus, Patres vrbis prædicti: Felix, Adauctus, Albinus, Maurinus, Eliphius, Hippolytus & Paulinus: Euualdi & Gregorius, Felix, Nabor, hi cum tribus Magis, vrbs ſanctiſſima, Te tuentur tribus, quibus polles famoſiſſima. Vt vobiſcum, ſupplicamus Patroni propitij, Glorioſè reſurgamus in die iudicij. Amen.

CAN-

CANTICA ALIQVOT SACRA IN HORIS CANONICIS QVOTIDIANA.

Pſal. 94. VEnite,exultemus Dño,iubilemus Deo ſalutari noſtro: pręoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Aue Maria.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellit Dominus plebem ſuam, quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Dominus tecum.

Quoniam ipſius eſt mare,& ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite, adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius & oues paſcuæ eius. Aue Maria.

Hodiè ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde: ipſi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meã. Aue Maria.

Gloria

Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, &c.
Dominus tecum. Aue Maria.

CANTICVM D. AMBROSII ET AVGVSTINI.

TE Deum laudamus, te Dominum confitemur.

Te æternū patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli, tibi cæli & vniuerſę poteſtates.

Tibi Cherubin & Seraphin inceſſabili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth.

Pleni ſunt cæli & terra maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Tę martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur ęccleſia.

Patrem immenſæ maieſtatis,

Venerandum tuum verum & vnicū filiū,

Sanctum quoq; paracletum ſpiritum.

Tu rex gloriæ Chriſte.

Tu patris ſempiternus es filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dextram Dei ſedes in gloria patris.

Iu-

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergò quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos precioſo ſanguine redemiſti.

Aeterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos vſque in ęternũ.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.

PSALMVS 148.

LAVDATE DOMINVM DE CAELIS. &c. CVM DVOBVS SEQVENtibus,

Vt ſolenni more ſtatis diebus in Eccleſia Colonienſi ſingulari tono in Laudibus cantari conſueuêre.

ANTIPH. LAVDATE DEVM.

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis: Laudate Deum.

Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum

eum omnes virtutes eius; Laudate Dominū: Laudate Deum.

Laudate eū ſol & luna: laudate eū omnes ſtellæ & lumen: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini; Laudate Deum.

Quia ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt; Laudate Dominum, Laudate Deum.

Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit & non præteribit; Laudent illum, cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi: Laudate Deum.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius: Laudate Dominum, Laudate Deum.

Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Beſtiæ & vniuerſa pecora: ſerpētes & volucres pennatæ: Laudate Deum.

Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ: Laudate Dominum, Laudate Deum.

Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius: Laudent illum cæli, terra,

ra, mare, & omnis creatura eius.

Confeſſio eius ſuper cælum & terram: & exaltauit cornu populi ſui: Laudate Deum.

Hymnus omnibus ſanctis eius: filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi: Laudate Dominum, Laudate Deum.

CAntate Domino canticum nouum: laus eius in eccleſia ſanctorũ: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo: Laudate Deum.

Laudent nomen eius in choro: in tympano & pſalterio pſallant ei: Laudate Dominum, Laudate Deum.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltauit manſuetos in ſalutem: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis: Laudate Deum.

Exultationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum: Laudate Dominum, Laudate Deum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorũ in manicis ferreis: Laudate Deum.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc in omnibus ſanctis eius: Lauda-

te

te Dominum, laudate Deum.

LAudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius: Laudate Deum.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara: Laudate Dominũ, Laudate Deum.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo: Laudent illum cæli, terra, mare, & omnis creatura eius.

Laudate eum in cymbalis benè ſonãtibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum. Laudate Deum.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto: Laudate Dominum, Laudate Deum.

Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen. Laudent illũ cæli, terra, mare, & omnis creatura eius. Laudate Deum.

CANTICVM ZACHARIÆ.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Luc. 1.

Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum: qui à ſeculo ſunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Et tu puer ꝓpheta altiſſimi vocaberis: prçibis enim ante faciem Dñi parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Gloria patri &c.

CANTICVM B. MARIÆ VIRGINIS.

Luc. 1. MAgnificat anima mea Dominum.

E exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies

nies timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.
Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſecula. Gloria patri. &c.

CANTICVM SIMEONIS.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. Luc.2.
Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.
Quod paráſti ante faciẽ omniũ populorũ.
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

SYMBOLVM ATHANASII.

QVicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opùs eſt vt teneat Catholicam fidem.
Quam niſi quiſque integram inuiolatamq́; ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.
Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.
Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.
Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia Spiritusſancti.
Sed patris & filij & Spiritusſancti vna eſt

diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.
Qualis pater, talis filius, talis ſpiritusſāctus.
Increatus pater, increatus filius, increatus ſpirituſſanctus.
Immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpirituſſanctus.
Aeternus pater, æternus filius, æternus ſpirituſſanctus.
Et tamen non tres æterni, ſed vnus æternus.
Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus & vnus immenſus.
Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpirituſſanctus.
Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.
Ità Deus pater, Deus filius, Deus ſpirituſſanctus.
Et tamen non tres dij, ſed vnus eſt Deus.
Ità Dominus pater, Dominus filius, Dominus ſpirituſſanctus.
Et tamen non tres Dñi, ſed vnus eſt Dñs.
Quia ſicut ſigillatìm vnamquanque perſonam Deum aut Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur:
Ità tres Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.
Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.
Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritusſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergò pater, non tres patres: vnus filius, non tres filij: vnus ſpiritusſanctus, non tres ſpiritusſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ità vt per omnia (ſicut iam ſuprà dictũ eſt) & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergò ſaluus eſſe, ità de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnátionem quoquè Domini noſtri Ieſu Chriſti vnuſquiſque fideliter credat.

Eſt ergò fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noſter IESVS Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis patri ſecundùm diuinitatem, minor patre ſecundùm humanitatem.

Qui licèt Deus ſit & homo, nõ duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus aũt nõ conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ,

ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo : ità Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis : indè venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Gloria patri & filio, & Spiritui ſancto : Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

FOR-

FORMVLA BENE PIEQVE AVSPICANDI, TRANSIGENDI, FINIENDIQVE DIEM CERTIS ijsque Catholicis precatiunculis, omnibus piè in Chriſto viuere ſatagentibus maximè ſalutaris, ex varijs piarum precum libellis ſedulò collecta.

PRÆFATIO CONTINENS PIAM ET SALVTAREM EXHORTATIONEM ad orationem vitamque Chriſtiano homine dignam.

FORMVLAM *breuem, Catholice Lector, tibi hîc præſcribimus piè auſpicandi, tranſigendi, finiendiq; diem certis pijs & Catholicis orationibus, quas in memoriæ penuarium repoſitas, & manè inter ſurgendũ interq; veſtiendũ (nè illud tibi tempus ſine aliqua pia & vtili occupatione animi inaniter elabatur) & veſperì ante lecti ingreſſum, ac in ipſo cùm iaces, memorare memoriter donèc ſomno opprimaris, poſſis. Tum per diẽ quoq; opportunis horis, cùm voles ſubindè pro pietatis & deuotionis affectu meminiſſe. In quo tibi pijsq; omnibus rem inprimìs gratã & animabus ſalutiferã nos facturos rati ſumus. Nihil enim homini Chriſtiano ad ſalutẽ & felicitatẽ æternã conſequen-*

 dam,

dam, quæ vna illi perpetuæ curæ in hac vita eſſe debet, conducibilius & congruentius eſt, quàm frequenter ſeriò animum ad ſyncerè ac feruenter orandum Deum accommodare, id eſt, ad colloquium cum ipſo Domino Deo, patre noſtro cæleſti, miſcendum, & mundo relicto, eiusq; curis nimijs ac vanitatibus, in cælum identidem ad patrem noſtrum, in manſiones habitationis æternæ, animo demigrare, ac cum cæleſtibus familiari meditatione conuerſari, ſicuti docet
Ephe.6. *beatus Paulus :* Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu. Et Dauid, Con-
Pſal.38. caluit cor meum intrà me, & in meditatione mea
Pſal.18. exardeſcit ignis. Et, Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. *Cùm enim hæc vita noſtra ad ſingula horarũ momenta incerta ſit, quandò ſit relinquenda, quandò ad illam permanentem in æternum tranſeundum, maximæ & infinitæ curæ omni momento illa, quæ nos manet apud æternitatem feliciter aut infeliciter degenda, quemadmodùm ad eam feliciter hinc cum tranquilla conſcientia & ſpe dulci tranſeamus, meritò nobis eſſe debet, magisq; illius æternitatis feliciter conſequendæ perpetua cogitatio, quàm huius vitæ tam momentaneæ & incertæ ad ſplendorem & relinquenda bona, quæ boni in ſe natiui, proprijq; nihil habent, ob quod expeti debeant, curioſiùs promouendæ pertinax ſtudium, noſtros exercere animos.*

Quid

Quid enim nunc prodeſt illis, qui imperia & regna, dominiaq; plurima ad 40. & 50. fortaſsè annos quondàm inſatiabiliter acquiſiuerunt & poſſederũt? Quid illis qui ingentes pecuniarum & opum theſauros, in quibus ſperauerunt & præualuerunt in vanitate ſua: vel alioquì nõ valdè magnos etiam, ſed cum pari animi ſtudio & applicatione per fas & nefas, ſibi verò perſuadentes (quæ eſt auarorum natura) per fas, omnia ſummis curis, moleſtijs & ſolicitudinibus congeſſerunt, quibus ad viginti, ad triginta, quadraginta, quinquaginta, & plures fortè, aut pauciores annos, qualitercunq; vſi ſunt, ijs toti perpetuò infuſi & impliciti? Quid illis, qui per voluptates & libidines & fraudes & ſcelerum omnium nequitias lutulenti volutati ſunt? ac iã pro ijs omnes iſti ad 600. & 800. ad mille, ad bìs mille, ad tèr mille, immò in æternum fortaſsè in inferno iacent? O miſerabilem nimìs & deplorandam humanam de æternitate incogitantiam. Sed percommodè & nimìs quàm feliciter cum illis adhuc ageretur, ſi poſt tot ſeculorum infernales perpeſſos cruciatus, vel illinc exeũdi, vel ſaltem mitigandorũ tormentorũ, ſpes aliqua ſupereſſet. Nunc aũt cùm in æternum inibì ſit hærendũ, nec tormenta mitiganda, quæ hìc miſeria? quis æterni ſupplicij & nũquàm finiendæ infelicitatis horror? quæ anxietas? Quomodò poteſt humana mens ratione & Numinis afflatu illuſtrata, tam eſſe cæca & inconſiderans, vt

huiuſmodi errores ac terribilitates perpetuas non prævideat, ab ijs non præcaueat, cùm ſint vbiquè in literis tam ſacris quàm prophanis, euidentiſſimè expreſſæ? Quæ illa tanta & tam bruta atque infernalis in homine, ratione & ingenio cum ipſo Deo *creatore ſuo pollente, in homine autem* Chriſtiano *cæcitas, ſpontaneè relinquere id, quod ſcit perpetua ipſum voluptate eſſe adfecturum: & diuertere ad id, quod certò ſcit exitium ſibi & cruciatum perpetuum allaturum?* A *vita, ad quam vocatus eſt, digredi: & ad mortem, à qua redemptus eſt, reuerti?* Gens *abſque*
Deut.32. *conſilio eſt & ſine prudentia: vtinàm ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.*

Nihil itaque prodeſt homini, ſi vel totius mundi monarcha ſit, vel vniuerſos orbis theſauros poſſideat
Mat.16. *ſolus, animæ verò ſuæ ſalutem, qua in æternum viuat beatus in domo* Domini, *negligat.* Hoc *autem ſolùm prodeſt, vt huius vitæ breuitatis & incertitudinis, futuræq; æternitatis omni hora memores, viuamus*
Tit.2. *in præſenti ſeculo ſobriè, & iuſtè, & piè.* Id *autem fiet commodiſſimè, ſi abſtinentia nobis perpetuò curæ ſit, ciboq; & potu perquàm parcè vtamur, & eo ſimplici: maximè verò potu inebriante.* Hoc *enim & corporis ſanitatem cuſtodiet, à multisq; vitiorum irritamentis reprimet: & mentem ad ſeruiendum* Deo, *ac ad omnia negocia vtiliùs pertractãda habiliorem, magisq; accõmodam reddet.* Inſupèr *ineſtimabile gaudium*

dium intùs pariet, dum multos ob cibi potusq́; intemperantiam & ob indè ſecuta vitia, ſæpè grauiter dolere ac ægrotare tum corpore tum animo cernimus. Ad quod cauendum Dominus in Euangelio *admonet, dicens :* Attendite *vobis nè fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ. Qui igitur ſobriè per abſtinentiam* Luc.21.
vixerunt, illi carnem ſuam hic cum mundo & concupiſcentijs eius crucifigere faciliùs potuerunt : & ſemetipſos abnegare, iniectis viriliter in praua ſua deſideria, contra ſalutem animæ militantia, frenis : crucemq́; ſuam, quæ eſt ſuffrenandarum concupiſcentiarum & iniquorum affectuum difficultas ac mortificatio, quotidiè in rationis & ſpiritùs humeris baiulare, & ſequi Chriſtũ. *Cum quo iam in tabernaculis æternis, in regno patris noſtri habitant donati corona vitæ.* Ad *quæ ſi & nos recipi cupiamus, non erit negligenter habenda illa huius vitæ breuitas & inſtabilitas, vt illa dum licet, ſemper ſobriè & iuſtè & piè tranſigatur.* Gal.5. Luc.14.

Sed & eius interìm commonere te voluimus, quod ad pietatis & ſalutis quæſtum non parùm facere arbitramur, vt præter has, quas manè memoriter recitas preculas, antè, quàm laborẽ vllum auſpiceris, aut quid rerum agendarum in manus ſumas, vnum vel alterũ Pſalmũ *ex* Dauide, *vnumq́; ſimul aut alterũ ex nouo* Teſtamento *caput legas.* Idemq́; *veſperì, antequã*

veſti-

veſtibus te denudes, facias. idq́; per omnem vitam indeſinenter quotidiè continues, repetitis ab initio, quotiès abſoluti erunt, libris. Et *quocunquè proficiſceris, hos tecum libros circunferas.* Poteris *etiam addere huic lectioni ex veteri* Teſtamento *hos libros,* Eccleſiaſten, Eccleſiaſticum, Sapientiam Salomonis, Tobiam, Canticum Canticorum, Iob *&* Prouerbia.: Sic *enim futurum eſt, vt & ſanctum* IESV Chriſti Teſtamentum *tandèm totum memoriæ citra negocium cum fructu mandes : & ſacros* Dauidicos Pſalmos *pro arbitrio ad quenuis orandi modum ſemper occurrentes memoriter in promptu habeas.* At *nullum tibi tam ſerium & charum negocium aut neceſſarium vel manè, vel veſperì ad manus veniat, quod te ab hoc inſtituto remoretur aut impediat: cuius reſpectu hanc ſanctam & laudabilem conſuetudinem poſtponas aut negligas.*

Hac *lectione manè abſoluta, concionem verbi* Domini, *ſi vſpiàm fiet, adito.* Hoc *eſt enim quod* Do-
Matt.6. *minus* IESVS *in* Euangelio *iubet,* Primùm *quærite regnum* Dei *& iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Hoc *eſt enim illud vnum, de quo* Da-
Pſal.26. *uid loquitur,* Vnum *petij, hoc requiram.* Et Dominus
Luc.10. *ad* Martham, Porrò *vnum eſt neceſſarium, nimirùm regnum* Dei. Quod *& ipſum vnum defuit adhuc illi*
Matt.19. *principi, qui rogabat ex* Domino: Quid *faciendum eſſet ad poßidendam vitam æternam.* Quid *enim ali-*

ud

ud habet homo in hac vita vmbratili & fugitiua, & in nullum momentum certa ac ſtabili, quod priùs & ſtudioſiùs curare debeat, quàm ſalutem ſuæ animæ? Siquidem hoc principale eſt & ante omnem labo- Matt. 6.
rem, primùm quærendum. Quærere enim regnum Dei, *eſt* Deum *ex toto corde quærere, illi confiteri & gratias agere, ab illo veniam & gratiam poſcere, illi nos per omnia commendare.* Ac *tum ad res faciendas accedendum eſt.* Nec *tantilli temporis te pœniteat, quo animi cibum quæris.* Multos *nil pœnitet neque tædet in ſomnum ſuperfluum, in ocioſam deſidentiam, in confabulationes nugaces, in ludum & in alia nugamenta etiam plus ſæpè impendere.* Vnam *verò tota die horam ſeriò ſacris impendere & animæ ſalutem curare, ad nauſeam vſque tædet.* Tu *ſurge manè hoc temperiùs aliquantò, vt vacare* Domino Deo *& inuigilare ſaluti animæ commodiùs poſſis.* Satis *deindè adhuc temporis ad negocia & labores tibi ſupererit.* Prima *enim cura,* Do*mino ſacra eſſe debet, & æternæ ſaluti curandæ debetur: deindè corporis & rerum externarum cura habeatur.* Quid *enim mihi eſt in cælo, (inquit* Pro- Pſal. 72.
pheta) & à te quid volui ſuper terram? Benè *vale pie &* Catholice Lector, *& nos tuis pijs precibus* CHRISTO *commenda.*

PSALM. CXLIIII.

Pro-

PRopè eſt Dominus omnibus inuocantibus eũ, omnibus inuocantibus eũ in veritate.

Matt.7. *PEtite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Aut qui eſt ex vobis homo, quem ſi petiêrit filius*

Luc.11. *ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petiêrit, nunquid ſerpentem porriget ei? Aut ſi petiêrit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergò vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?*

NON TANTVM DIEM FESTVM, SED OMNEM ETIAM NON FESTVM DIEM, A precibus ante omnem laborem & omne negocium auſpicandum eſſe.

M*VLTI in eo ſunt errore & negligentia, vt tantùm diebus feſtis ſe ad orandum & quærendum regnum Dei parent: alijs verò diebus, quibus opus faciũt & negocijs exercentur, hoc prorsùs negligunt, ſtatimq; vt nidum reliquêre ad laborem & negocia, non placato antè Deo, nec inuocata eius gratia, deuolant: tanquàm illis diebus*

non opus habeant gratia & bonitate Domini, non ſatis ocij ad res faciendas ſibi ſuffecturum exiſtimantes. Quanquàm nonnulli ne feſtis quidem diebus omninò ocioſi ab externis laboribus ſint, nec antè ſe ad preces & ad ſeruiendum DEO *accommodent, quàm negociorum reliquijs alterius diei priùs implicentur & diſtrahantur.* Deteriores *hi multo illis ſuperioribus ſunt: omnes tamen hi ſimul infideles poſſident conſcientias, & nullo modo Chriſtianus, ſemper diffidentes verbis* Domini, *eiusq; praecepta curioſi negligentes. Cùm enim dicitur,* Primùm *quaerite regnum* Dei *& iuſtitiam eius, magìs de diebus operoſis intelligitur, quibus ſoliciti de acquirendis vitae neceſſarijs per laborem eſſe ſolemus, quàm de feſtis diebus* Surgendum *enim hoc temperiùs eſt, vt precibus & ſeruitio* DEI *vacare ante laborem poſſimus. Aut ſi non ſurgitur maturiùs, quid dimidia hora quae* Deo *& saluti animae datur, ad totum reliquum pro commoditate corporis in negocia facit diem? Omninò itaque ſemper & in omni loco à precibus ante omne opus, ante negociū quantumlibèt & ſerium & arduum auſpicandus homini benè* Chriſtiano *dies At ſi aedes ſacras commodè adire non poteſt, neque vacat, fiat domi, fiat in cubili, flexisq; genibus humiliter* DEVM *precetur. Sunt etiam quidam ità ſuperbè & inflatè Chriſtiani, vt pudeat eos ex humilitate Chriſtiana pios & deuotos, id eſt, benè* Matt.6.

Chri-

Chriſtianos, videri: pudeat flectere genua, aperire in
Matt.27. *reuerentiam* Dei *caput, procumbere niſi in vnum ge-nu, inſtàr latronum* Iudæorum *Chriſto illudentium.* Nuſquàm *enim legitur de vno genu, niſi de ijs qui*
Act.7. *Chriſto illudebant: alibi enim ſemper legitur:* Poſi-
Luc.22. *tis genibus orabat.* Hoc *enim plebeium eſſe illi, qui ſe præ cæteris aliquid eſſe videri volunt, putantes ſe meliores eſſe, nobiles eſſe, magnificos eſſe, excellentes eſſe, doctos eſſe, titulis & honoribus auctos eſſe, opulentos eſſe, claros dominos,* Prælatos, Principes, Reges *eſſe: ignorantes ſe æquè miſeros eſſe, pauperes eſſe & nudos & calamitoſos, & gratia egere atque miſericordia* Domini. *Sed pudebit viciſſim illorum* Dominum *ob hanc internam fœtentem de cordibus eorum in altum vſque ſuperbiam, cùm opus illius*
Matt.18. *miſericordia habuerint.* Niſi *enim humiles facti fuerimus, & innocentes ſicut paruuli, non ingrediemur in regnum* Dei.

Manè ante lucem ſurgendum.

DE *luce & ante lucem ad* Dominũ *& res honeſtè agendas vigilandum eſſe, omnes literæ, & ſacræ & prophanæ habent.* Non *enim ſolummodò vitium eſt, ſed pudor & verecundia publica & dedecus, tam in magnis & claris hominibus, qui in labore hominum non ſunt, ſed in ocio & rerum prouiſione atque abundantia ſunt, quàm in infimis & vi-*

libus, qui ex labore ſuo & negocijs viuunt, ſtertere in multam lucem manè: perdere ſomno inerti ac deſidia optimas ac opportuniſsimas tum Deo *ſeruiendi, tum rebus agendis, horas.* Quod *etiam* Ethnici *vitium ſcriptores notârunt, vt* Perſius:

Stertis adhuc? iam clarum manè feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.

Et Horatius:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, *nebulones,* Alcinoique,
In cute curanda plùs æquo operata iuuentus:
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies.

Et paulò pòſt: *Et ni*
Poſces ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendes animum ſtudijs & rebus honeſtis,
Inuidia vel amore vigil torquebere. nam cur,
Quæ lædunt oculos, feſtinas demere: ſi quod
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?

Et D. Prudentius in Hymno ſequenti:

Poſt ſolis ortum fulgidi,
Serum eſt cubile ſpernere, &c.

Et ſi nihil ſit quod agatur, tamen peccatum eſt in lecto deſidiam alere, & aufugientem ex ſaturitate iam ſomnum captare, inuitosq; oculos claudere. Surgendum, *ac ſi nihil eſt quod agatur, ædes ſacra adeatur, aut inambuletur: hoc enim corpus & animum in meliorem*

diſpoſitionem reficiet. Quicquid ſupra octo horas homo ſanus in lecto eſt, venenum naturæ eſt, dedecus eſt, peccatum eſt. Naturæ quinque horarũ ſomnus faciet ſatis, aut ad ſummum ſex. Quid enim turpius, quàm dimidium vitæ, quæ breuiſsima eſt, inerti ſomno tanquàm morte conſumere? Matutinus faber ad operas eſt, matutinus agricola & mercenarius ad laborem: te (quiſquis hoc vitio laboras) ſolis iubar opperiri in lecto, vt illuſtret ignauum, nil pudet?

Ouid. *Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Hymnus ex Prudentio verè aureus.

ALes diei nuncius,
Lucem propinquam præcinit:
Nos excitator mentium
Iam Chriſtus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos
Aegros, ſopore deſides:
Caſtique, recti, ac ſobrij
Vigilate. iam ſum proximus.
Poſt ſolis ortum fulgidi,
Serum eſt cubile ſpernere,
Nî parte noctis addita,
Tempus labori adieceris.
Vox iſta qua ſtrepunt aues
Stantes ſub ipſo culmine.

Paulò antè quàm lux emicet,
Noſtri figura eſt iudicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisq́; opertos ſegnibus,
Suadet quietem linquere
Iam iamq́; venturo die.
Vt cùm coruſcis flatibus
Aurora cælum ſparſerit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad ſpem luminis.
Hic ſomnus ad tempus datus,
Eſt forma mortis perpetis:
Peccata ceu nox horrida,
Cogunt iacere ac ſtertere.
Sed vox ab alto culmine,
Chriſti docentis præmonet,
Adeſſe iam lucem propè,
Nè mens ſopori ſeruiat.
Nè ſomnus vſque ad terminos
Vitæ, ſocordes opprimat,
Pectus ſepultum crimine,
Et lucis oblitum ſuæ.
Indè eſt quòd omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
CHRISTVM *rediſſe ex inferis.*
Tunc mortis oppreſſus vigor,

Tunc lex ſubacta eſt Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coegit cedere.
Iam iam quieſcant improba,
Iam culpa furua obdormiat,
Iam nox lethalis, ſuum
Perpeſſa ſomnum, marceat.
Vigil viciſſim ſpiritus,
Quodcunque reſtat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
IESVM *ciamus vocibus,*
Flentes, precantes, ſobrij:
Intenta ſupplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Stat conuolutis artubus,
Senſum profunda obliuio
Preſſit, grauauit, obruit
Vanis vagantem ſomnijs.
Sunt nempe falſa & friuola,
Quæ mundiali gloria
Ceu dormientes egimus:
Vigilemus, hîc eſt veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, proſpera,
Quæcunque nos inflant mala,
Fit inane: nil ſunt omnia.

Tu

Tu Chriſte ſomnum diſiice,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu ſolue peccatum vetus,
Nouumq; lumen ingere:
Te mente pura & ſimplici,
Te voce, te cantu pio
Rogare, curuato genu,
Flendo & canendo dicimus:
Intende noſtris ſenſibus,
Vitamq; noſtram diſpice,
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.
Tandèm facesſat cæcitas,
Quæ noſmet in præceps diù
Lapſos, ſiniſtris greſſibus
Errore traxit deuio.
Sic tota decurrat dies,
Nè lingua mendax, nè manus,
Oculi've peccent lubrici,
Nè noxa corpus inquinet. Amen.

MANE CVM SVRGIS, SIGNA TE SIGNACVLO SANCTAE CRVcis *in fronte & in pectore, dicens:*

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, *& Spiritusſancti.* Amen.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi ſurgo, qui me redemit ſuo precioſo ſanguine, ipſe me benedicat, regat, cuſtodiat, protegat: & poſt hanc miſeram & lamentabilem vitam, ad vitam æternã perducat. Amen.

ORATIO.

DOmine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui nos peccatores ad principium huius diei, non noſtris meritis, ſed tua ſanctiſſima gratia peruenire feciſti: tua nos ſalua virtute, & concede, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec vllum incurramus periculum aut ſcandalũ, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur pariter cogitationes & opera. Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus ſpiritusſancti, qui corda & corpora noſtra clementer expurget, & ab omnibus ſemper tueatur aduerſis: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Deinde dic Symbolum Apoſtolicum, cum hac præfatione.

ABrenuncio tibi Satana, & omnibus pompis & operibus tuis, Et credo in vnũ Deũ, patrem &c. vſque ad finem Symboli, Cui ſubiunge orationem Dominicam: Pater noſter, &c. Et Salutationem Angelicam: Aue Maria, &c. Et ſubiunge ſequentem Orationem Ec-

cleſiæ ad ſanctiſſimam Trinitatem.

DIrigere & conſeruare dignare Domine ſancte, pater omnipotens, æterne DEVS, rex cæli & terræ, hodiè & quotidiè corda & corpora noſtra, ſenſus quoquè, ſermones & omnes actus noſtros in via & lege mandatorum tuorum. Præſta nobis facere voluntatem tuam, vt miſericordam tuam inuenire mereamur, & vt placere poſſimus in conſpectu filij tui. Angeli tui ſancti comitentur nobiſcum, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, proſperitatis & ſalutis, vt hîc & in æternum per te, & in te ſemper ſalui, ſani & liberi eſſe mereamur, Rex gloriæ. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ALIA LONGIOR B. Auguſtini.

DOmine Deus omnipotens, qui es trinus, & vnus, qui es ſemper in omnibus, & eras ante omnia, & eris ſemper in omnibus Deus benedictus in ſecula, tibi commendo hodiè & omni tempore, animã meam, corpus meum, viſum, auditum, guſtum, odoratum & tactum, omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones, omnia exteriora & interiora mea, fidem & credulitatem meam, & perſeuerantiam meam in manus potentiæ tuæ, vt cuſtodias ea diebus & noctibus, horis atque momentis: Exaudi me Trinitas ſancta, & conſerua me ab omni malo, ab omni

ſcādalo,& ab omni mortali peccato,ab omnibus inſidijs & infeſtationibus dæmonum & inimicorum viſibilium & inuiſibilium,per orationes Patriarcharum, per ſuffragia Apoſtolorum , per conſtantiam Martyrum , per fidem Confeſſorum , per caſtitatem Virginum, & per interceſſionem omnium Sanctorum, qui tibi placueruntab initio mundi. Expelle à me iactantiam mentis, & auge compunctionem cordis,minue ſuperbiam meam, & perfice in me humilitatē veram, ſuſcita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum,libera me Domine,& animam meam ab omnibus inſidijs inimici,& conſerua me in tua voluntate. Doce me Domine voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu : Da mihi Domine ſenſum perfectum , & intellectum, vt ſuſcipere valeam profundam benignitatem tuam. Illud da mihi petere, quod te audire delectet, & mihi expediat. Da mihi lachrymas ex toto affectu,quæ peccatorum meorum poſſint ſoluere vincula. Audi Dominus meus & Deus meus , audi quæ peto, & da vt quod peto, exaudias. Si deſpicis, pereo : ſi reſpicis, viuo : ſi iuſtitiam meam requiris, mortuus fœteo : ſi cum miſericordia reſpexeris, fœtentem reſuſcitas de ſepulcro. Quod odis in me, longè fac à me, & caſtitatis ac continentiæ ſpiritū inſere in me, vt quodcūque petiêro, in ipſa petitione te non offendam : Tolle à me quod nocet, & præbe quod iuuet. Præſta mihi Domine

ne medicinam, vndè mea poſſint curari vulnera. Da mihi Domine timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem & conſcientiam puram. Præſta mihi Domine, vt fraternam ſemper tenere valeam charitatem, & mala mea non obliuiſcar, aliena non requiram. Parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Viſita me infirmum, cura me ægrum, ſana languentem, & ſuſcita me mortuum. Da mihi Domine cor quod te timeat, mentem quæ te diligat, ſenſum qui te intelligat, aures quæ te audiant, oculos qui te videant. Miſerere meî Deus, miſerere meî, & reſpice me de ſede ſancta Maieſtatis tuæ, & tenebras cordis mei radio ſplendoris tui illumina. Da mihi Domine diſcretionem diſcernendi inter bonum & malum, & concede vt ſenſum habeam vigilem. Peto à te Domine remiſſionem omnium peccatorũ meorũ, à quo, & per quem mihi fiat propitiatio in tempore neceſſitatis & anguſtię meę. Sancta & immaculata virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, interuenire ꝓ me digneris apud illum, cuius meruiſti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti chori angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyum, Confeſſorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum, omniumque iuſtorum, & per illum qui Pſal.56.

vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili ipſi Deo ſupplicare dignemini, quatenùs de faucibus diaboli & de morte perpetua merear liberari. Largiri mihi digneris Domine perpetuam vitam, ſecundùm clementiam ac benigniſſimam miſericordiã tuam. Da Domine Ieſu Chriſte ſacerdotibus concordiam: Regibus, Epiſcopis & principibus iuſtè iudicantibus tranquillitatem & pacem. Oro Domine pro vniuerſa ſancta Eccleſia Catholica, pro viris & fœminis, pro religioſis & ſecularibus, pro omnibus rectoribus Chriſtianorum, cunctiſque in te credentibus, qui pro tuo amore ſancto laborant, vt perſeuerantiam boni operis obtineant. Præſta Domine rex æterne virginibus caſtitatem, Deo dicatis continentiam, coniugatis ſanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis ſuſtentationẽ, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, lugentibus conſolationem, defunctis fidelibus requem ſempiternam, nauigantibus in portum venire ſalutis: optimis, vt in bonitate ſemper conſiſtant: bonis & mediocribus, vt meliores fiant: prauè agentibus & delinquentibus, vt citò ſe corrigant. O dulciſſime & miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, redemptor mũdi, inter omnes & per omnia me miſerum peccatorem cõfiteor: ſed tu clementiſſime pater, qui omnium miſereris, non me patiaris à tua miſericordia fieri

alie-

alienum. Et tu Domine Rex regum, qui inducias viuendi præſtas, corrigendi mihi deuotionem tribue, excita in me mentem, quæ te requirat, te deſideret, & te qui es vbiquè totus trinus & vnus, ſemper præ omnibus amet, te timeat, tuamque voluntatem faciat. Præcipuè ergò te Domine ſancte Pater deprecor, qui es benedictus & glorioſus per omnia ſecula, vt omnes qui meî memoriam faciunt in ſuis orationibus, & qui indignis orationibus meis ſe commendauerunt, & qui mihi aliquod charitatis officium, & pietatis ſtudium impenderunt, ſeu & illos qui conſanguinitate, ac cognationis affectu ſunt mihi propinqui, tam & illos qui nunc conſiſtunt in corpore, quàm & illos qui teguntur funere, miſericorditer gubernare digneris, nè pereant. Omnibus etiā Chriſtianis, viuis adiutorium præſtare digneris, & defunctis fidelibus abſolutionē & requiem ſempiternam per æterna ſecula. Necnon & illud magnoperè ſupplico Domine, qui es α & ω, vt cùm extrema dies mea, finiſque vitæ aduenerit, tuipſe mihi ſis miſericors iudex contra malignum accuſatorem diabolum, & ſis mihi perpetuus defenſor aduersùs inſidias hoſtis antiqui, & in ſocietatem angelorum omniumque ſanctorum in ſancto paradiſo tuo perſeuerare facias, qui es benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO PRO BONO FINE.

Domi-

DOmine IESV Chriſte, Saluator & redẽptor meus, miſerere mihi miſero peccatori, nè mihi ſubitanea & improuiſa mala mors ſuperueniat, nè ſubitò & imparatus de hoc mundo tranſeam. Præſta pijſſime Domine IESV Chriſte, qui fons miſerationis, nunquàm manare ceſſas, vt peccati deteſtatione, diaboli & operum eius abrenunciatione, vera contritione, pura & humili confeſſione, ac digna pœnitentia, Deique & proximi dilectione, tibi reconciliatus, de hoc mundo tranſeam. Et fac mecum miſericordiam tuam in illa tremenda hora, quandò ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua ſe nequibit mouere ad inuocandum te, neque oculi mei lucẽ capere poterunt, aureſque nulli voci pateſcent. Memor eſto tunc ô bone IESV precum, quas nunc fundo ad aures pietatis tuæ: & ſubueni mihi in illa vltima hora neceſſitatis meæ, vt liberer à miniſtris diaboli, & pleno ſenſu, fide recta, ſpe firma, & charitate perfecta, lætus ad te tranſire merear, & gratiam in conſpectu tuo inuenire, & gloriam conſequi ſempiternam. Amen.

ALIA.

DEus, qui viuorum es ſaluator omniũ, qui non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientum, ſed vt conuertantur & viuant, te pijſſime Domine ſupplex deprecor, vt concedas mihi miſero peccatori veniam

niam delictorum meorum, vt admiſſa defleã, & poſtmodùm flenda non admittam: Et cùm mihi extrema dies finisque vitæ aduenerit, emundatum à delictis omnibus, me Angelus ſanctitatis ſuſcipiat, & ad gaudia æterna perducat: Per Dominum &c.

Alia B. Auguſtini.

CONcede Domine DEVS meus, ſic cuſtodire & regere & finire vitam meam, vt in pace dormiam, & in te requieſcam. Præſta mihi Domine in finẽ, vt me recipiat ſomnus cum requie, requies cum ſecuritate, ſecuritas cum æternitate. Amen.

ALIA.

IN tempore neceſſitatis & anguſtiæ meæ nè memineris malorum meorũ Domine, ſed in quacunque die inuocauero te, exaudi me. Adeſto preci meæ miſericordiſſime Deus, & opus manuum tuarum nè deſpicias. Porrige manum tuam, & cùm animam meam Domine ab hoc luteo corpore & terrena habitatione iuſſeris ſeparari, Angelum pacis mitte mihi, qui me à poteſtate dæmoniorum liberet, & ad ſedes lucidas, quas per meritum non requiro, ſed per tuam miſericordiam ſpero, perducat: Te adiuuante, Chriſte ſaluator omnium, Qui viuis & regnas Deus &c.

BENEDICTIO, SEV RECOMmendatio ad Deum.

Pax

PAx Domini noſtri IESV Chriſti, & virtus ſacratiſſimæ paſſionis eius, ſignum ſanctę crucis, benedictio omnium ſanctorum, Angelorum cuſtodia, & ſuffragia omnium electorum Dei ſint inter me & omnes inimicos meos, viſibiles & inuiſibiles, nunc & in hora mortis meæ: In nomine patris, & filij, & ſpirituſſancti. Amen.

ALIA.

BEnedicat me Imperialis maieſtas, protegat me regalis diuinitas, cuſtodiat me ſempiterna Deitas, foueat me glorioſa vnitas, defendat me immenſa Trinitas, dirigat me ineffabilis bonitas, regat me potentia patris, viuificet me ſapienria filij, illuminet me virtus ſpirituſſancti, nũc & in æternũ. Amen.

AD PVLSVM CAMPANAE matutinum.

DOmine IESV Chriſte, qui circa hanc horam è monumento à mortuis reſurrexiſti, da mihi vt per tuam gratiam à vitiorum ſordibus, quibus inſepultus iaceo, & à peccatorum morte in nouitatem melioris vitæ reſurgam, & relicta mortis ac peccatorum caligine, in tuę lucis claritate perpetuò ambulem: Qui cum patre &c.

ALIAE ORATIONES PERbreues matutinæ.

EXurgentes de cubilibus noſtris Domine, auxilium gratiæ tuæ matutinis Domine pre-

precibus imploramus, vt diſcuſſis à nobis tenebris vitiorum, ambulare poſſimus in luce virtutum: Per Dominum &c.

IN hac hora huius diei tua nos Domine reple miſericordia, vt per totum diem exultantes, in tuis laudibus delectemur.

OMnipotens ſempiterne Deus, apud quem nihil obſcurũ, nihil tenebroſum: emitte lucem tuam in cordibus noſtris, vt mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes, nihil patiamur erroris: Per Dominum &c

GRatias agimus tibi Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui nos tranſacto noctis ſpatio, ad matutinas horas perducere dignatus es: te quæſumus, vt dones nobis diem hunc ſine peccato tranſigere, quatenùs ad veſperam tibi gratias referamus: Per Dominum &c.

MAtutina ſupplicum vota Domine propitius intuere, & occulta cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis, vt deſideria tenebroſa non teneant, quos lux cæleſtis gratię reparauit: Per Dominum &c.

DEus, qui tenebras ignorantiæ verbi tui luce depellis: auge in cordibus noſtris virtutem fidei, quam dediſti, vt ignis quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus poſſit extingui: Per Dominum &c.

Oratio inter veſtiendum.

Tua

TVa me Domine DEVS pater cęleſtis armatura hodiè contra hoſtes meos indue veſtimentis ſapientiæ & fortitudinis, circunda me lorica iuſtitiæ: impone galeam ſalutis, da ſcutum fidei, & gladium ſpiritûs diuini verbi tui ac veritatis, vt ambulem compoſitus tanquàm filius lucis in nouitate vitæ per vias rectas: milesque armatus pugnem fortiter cōtra aduerſarios animæ meæ, mundi concupiſcentias, carnis illectamenta, & ſugillatoris antiqui ſerpentis inſidias, eiusque omnia tela ignea extinguere valeam & infringere, vt peracto die, ſincero corde, immaculatus & illæſus, gratias tibi agere poſſim: Per IESVM Chriſtum filium tuum vnicum, Dominum & redemptorem noſtrum. Amen.

Inter lauandum manus.

Pſal. 50. ADſperges me Domine hyſopo, & mūdabor: lauabis me, & ſuper niuē dealbabor: Ablue Domine DEVS aqua tuæ diuinæ gratiæ animum meū ab omnibus vitiorum ſordibus & inquinamentis, quibus multifariàm maculatus in conſpectum tuum inſordeſcit. Adſperge illum hyſopo compunctionis & amaritudinis ex vera pœnitentia, vt in fonte tuæ gratiæ lauari ſuper niuis albedinem mereatur: tibique ex dulcedine de tua gratia ac benignitate percepta, iugiter ſyncerè in lætitia & ſuauitate ſeruire, nè vnquàm à vijs tuis deuius aberret: Per Dominum &c.

CVM E CVBICVLO SEV DOmo egrederis, impreſſo ſigno crucis fronti & pectori, dic:

ABrenuncio tibi Satana, & adhæreo tibi Chriſte, qui es via, veritas, & vita. Iohã.14.

Deduc me Domine in via tua, vt ingrediar in veritate tua. Lætetur cor meum, & timeat nomen tuum. Pſal.87.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Pſal.24.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEVS ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Eripe Domine animam meam de morte, pedes meos de lapſu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium. Pſal.55.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Pſal.16.

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, vt nõ dominetur mei omnis iniuſtitia. Pſal.118.

Qui ex nihilo creâſti nos, & per filiũ tuum redemiſti nos, & per ſpiritum ſanctum ſanctificâſti nos, Tibi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

IN OMNIBVS REBVS PRIMVM DEI AVXILIVM IMPLORANDVM, illique gratiæ agendæ.

Laborem auſpicaturus, aut quodcunque opus facturus, ſemper ordiaris per hæc verba:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVSSANCTI, Amen.

Preceriſq; eum in modum:

DOmine Deus, tuo auxilio adeſſe digneris mihi, beneque fortunes hunc mihi laborem.

Abſoluto opere, dic:

DEo Optimo Max. ſit laus, honor & gloria, quòd ipſius auxilio hoc opus abſoluerim, hanc difficultatem vicerim.

Si aer minùs gratus aut commodus eſt, dic:

DOmine Deus, ne ad peccata noſtra reſpicias, quæ merentur omne malum, ſed ad ſempiternam tuam bonitatem, & concede aerem commodum ſeruituti ac neceſſitati hominum, & tuę Maieſtati glorioſum.

Si quò iturus, ſi quid facturus, dic:

CRàs illuc proficiſcar: ad te veniam: illud faciam: tunc curabimus: tũc abſoluemus &c. Si Deo placuerit, iuuante, volente Deo.

Iac. 4. *Sic Apoſtolus:*

Veniam ad vos, ſi voluerit Dominus.

Si quid furto ablatũ eſt, aut caſu aliquo deperditum, ne turberis propterea, neque ad ariolos & diuinatores, id eſt, ad diabolum, diuertas, ſed afflictionem ſalutarem eſſe à Deo ob peccata tibi immiſſam exiſtimes: ideoq; preceris, & dicas:

Do-

DOmine Deus, cognoſco peccata mea eſſe, quæ hoc meruerunt, & certè multo pluribus adhuc affligi malis merui. Tibi Domine gratias ago, quòd hîc me caſtigas, vt ad reſipiſcentiam admoneas & conſerues.

Tunc læto animo cum Diuo Iob dic:

Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quarè non ſuſtineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ità factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.

Sic & in alijs aduerſitatibus cœptisq; & votis & laboribus irritis hominē Chriſtianum ſe habere oportet, & non turbari neque frangi & animo deijci.

In omnibus deniquè rebus, ſemper & vbiquè os tuum in laudem Domini prorumpat, ipſi gloriam & honorem ebuccinet, gratiasq; reſonet. Nam ille ſolus eſt qui omnia præſtat, per quem viuimus ac morimur, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

INGRESSVRVS TEMplum, dic:

INtroibo in domum tuam, adorabò ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo in timore tuo. Pſal. 5.

INGRESSVS, ATTENDE QVOD Beatus Cyprianus monet, dicens:

QVandò ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad pre-

ces toto corde debemus: cogitatio omnis ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem, præfatione præmiſſa, parat fratrum animos, dicendo: SVRSVM CORDA: vt dum reſpondet plebs, HABEMVS AD DOMINVM: admoneatur, nihil aliud ſe, quàm Dominum, cogitare debere. Quæ enim ſegnitia eſt, alienari & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cùm Dominum deprecaris? quaſi ſit aliud, quod magìs debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris.

ITEM.

COgitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare, placendum eſt diuinis oculis & habitu corporis & modo vocis. Obuerſetur ſemper oculis, quòd Dominus IESVS, rebus aliis quam orationi in templo Dei vacantes, flagello facto de funiculis, magna ſeueritate
Iohã. 2. eiecit de templo, dicens: DOMVS MEA,
Matt. 21. DOMVS ORATIONIS VOCABITVR.

Terreat quod ſcriptum eſt: Populus hic
Matt. 15. labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt
Eſa. 29. à me. Vt non aliud habeamus in corde, aliud in voce: dum intentione ſyncera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare.

HORA-

HORARIA COMMEMORATIO PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRIſti rhythmica, cum ſubiectis prophetijs & pijs precibus.

AD MATVTINAS.



ADoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Gratias ago tibi Domine IESV Chriſte, cuius gratia ſum id quod ſum: cuius miſericordia viuo, moueor, & ſubſiſto. 1. Cor. 15.

Dignare me laudare te benigniſſime IESV Chriſte, & ſacratiſſimæ paſſionis tuæ laudes decantare.

Pſal.50. DOmine, labia mea aperies.
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Pſal.69. Deus, in adiutorium meum intende.
Domine, ad adiuuandum me feſtina.
Gloria patri & filio,& ſpirituiſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ.

INVITATORIVM.

REgem Chriſtum Dominum crucifixum, Venite, adoremus.

PSALMVS.

Pſal. 94. VEnite, adoremus Deum, & procidamus ante eum, propter nos hominem factum, naturæ & legi ſubiectum. Regem.

Fame, ſiti, æſtu, frigore, ventis, imbribus, vigilijs, ieiunijs, laboribus, anguſtijs, doloribus, cæteriſque infirmitatibus noſtris Deo incongruis confectum, Venite, adoremus.

Baptizari dignatum, tentatũ, reprobatum, traditum, pedes diſcipulorum lauantem, pauentem in agonia, prolixius orãtem, ſudorem
Luc.22. tanquàm guttas ſanguinis in terram fundentem, Regem.

Iohã.18. Compræhẽſum, tractum, truſum, ligatum,
Luc.23. Annæ, Caiphæ, Pilato, Herodi præſentatum, accuſatum, iudicatum, damnatum, alba veſte indutum, facie velatum & conſputum, colaphis, alapis, flagellis, arundine cæſum, Venite adoremus.

Veſte propria exutum, veſte coccinea, corona

na ſpinea, ſceptro arundineo, adoratione, ſalutatione illuſum, Regem.

Gloria patri. Venite, adoremus. Regem Chriſtum Dominum crucifixum, Venite, adoremus.

HYMNVS.

IN paßione Domini, qua ſalus datur homini, ſit noſtrum refrigerium, & cordis deſiderium.

Portemus in memoria pœnas & tot opprobria, Chriſti coronam ſpineam, crucem, clauos & lanceam.

Et plagas ſacratißimas, omni laude dignißimas: acetum, fel, arundinem, mortis amaritudinem.

Hæc omnia nos ſatient, & dulciter inebrient: nos repleant virtutibus, & glorioſis fructibus.

Te crucifixum colimus, te toto corde poſcimus, vt nos ſanctorum cœtibus coniungas in cæleſtibus.

Laus, honor Chriſto vẽdito, & ſine cauſa prodito: paſſo mortem pro populo in aſpero patibulo, Amen.

PSALMVS.

QVarè fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Pſal.2.

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Pſal.26.

Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam. Pſal.68.

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Pſal.139.

Pſal.54. Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.

Gloria Patri. Sicut erat in principio &c.

ANTIPH.

Iere.23. Contritum eſt cor meum in medio meî, &
Iere.12. contremuerunt omnia oſſa mea. Verſ. Reliqui domum meam, & dimiſi hęreditatē meam. Reſp. Dedi dilectā animam meam in manu inimicorū meorum. Kyrie eleiſon, Chriſte elei ſon, Kyrie elei ſon. Pater noſter. Et nè nos. Sed libera nos. Iube Domine benedicere. Per ſuam ſanctam paſſionem det nobis IESVS Chriſtus gratiam & benedictionem.

LECTIO PRIMA.

Eſa.53. NOn eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat ei adſpectus. Et conſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcietem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vndè nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portauit. Et nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Tu autem Domine miſerere. Reſp In monte
Matt.26. Oliueti oraui ad patrem: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Spiritus quidē promptus eſt, caro autē infirma. Verſ. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Spiritus quidem. Iube Domine benedicere. Glorioſa paſſio IESV Chriſti perducat nos ad gaudia paradiſi. Amen.

LECTIO

LECTIO SECVNDA.

IPſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Nos omnes quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrûm. Tu autem. Reſp. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate mecum: nunc videbitis turbam quæ circundabit me. Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis. Verſ. Eccè appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Vos. Iube Domine benedicere. Per crucem ſuam Dei filius ſit nobis clemens, pius & propitius. Amen. Eſa.53. Matt.26.

LECTIO TERTIA.

OBlatus eſt, quia ipſe voluit: & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionē ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, eô quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Et Dominus voluit conterere eū in infirmitate, & cum ſceleratis deputatus eſt. Tu autem Domine. Reſp. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Verſ. Attendite vniuerſi populi, & videte dolorem meum, Si eſt dolor. Gloria patri. O vos omnes. Eſa.53. Thre.1.

CANTICVM.

TE Deū laudamus, te Ieſum benedicimus.
Te regem regū & Dominum confitemur.
Te crucifixum colimus glorioſum,
Dulcem & amabilem redemptorem,
Qui nos adſperſione tui ſanguinis abluiſti.
Apoc. 4. Dignus es Dñe IESV Chriſte Deus noſter,
Accipere laudem, benedictionem, gloriam & honorem.
Exultet tibi omnis caro, & omnis viuens glorificet nomen tuum.
Humilietur omnis facies pedibus tuis.
Omnis creatura iubilet & ſeruiat tibi.
Laudet & extollat, benedicat & glorificet te in
Pſal. 26. æternum. Verſ. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Reſp. Et mentita eſt iniquitas ſibi.

AD LAVDES.

DEus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuuandum. Laus tibi Domine.

Pſal. 3. DOmine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multī inſurgunt aduersùm me.

Pſal. 21. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Pſal. 141 Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſceret me.

Pſal. 37. Amici mei & proximi mei aduersùm me appropinquauerunt & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto. Sicut

erat

erat in principio &c.

ANTIPH.

ANxiatus eſt in me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Pſal.142.

CAPITVLVM.

REcogitate eum qui talem aduersùm ſe ſuſtinuit contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris. Deo gratias. Heb.12.

HYMNVS.

CHriſtum ducem, qui per crucem redemit nos ab hoſtibus, laudet cœtus noſter lætus, exultet cælum laudibus.

Pœna fortis tuæ mortis, & ſanguinis effuſio, corda terant vt te quærant, IESV *noſtra redemptio.*

Per felices cicatrices, ſputa, flagella, verbera: nobis grata ſint collata æterna Chriſti munera.

Noſtrum tãgat cor vt plangat, tuorũ ſanguis vulnerum, in quo toti ſumus loti, conditor alme ſiderum.

Paßionis tuæ donis ſaluator nos inebria, qua fidelis dare velis beata nobis gaudia.

Laus, honor Chriſto, &c. pag.487.

Verſ. Dedit percutientibus ſe maxillam. Reſp. Satiabitur opprobrijs. Thre.3.

CANTICVM ZACHARIÆ

Lucæ 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit &c. pag.449.

AN-

ANTIPH.

Rom.8. PRoprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Verſ. Domine exaudi. Reſp. Et clamor meus ad.

ORATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora matutinali pro ſalute humana naſci, tradi, capi, alapis cædi, ligari, cõſpui voluiſti: fac nos, quæſumus, contumelias & opprobria pro tui nominis gloria lætanter & patienter ſuſcipere, & ſic huiuſmodi tuæ ſacratiſſimæ paſſionis memoriam continuè recordari, vt ad reſurrectionis tuæ gloriã & conſortiũ mereamur feliciter ꝑuenire: Qui viuis & regnas &c.

AD PRIMAM.



DEus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuuandum me feſtina.

Glo-

Gloria patri. Sicut erat. Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ.

HYMNVS.

TV *qui velatus facie fuiſti ſol iuſtitiæ, flexis illuſus genibus, cæſus quoquè verberibus:*

Te petimus attentiùs, vt ſis nobis propitius: & per tuam clementiam perducas nos ad gloriam.

Laus, honor Chriſto, &c. pag. 487.

PSALMVS.

ADſtiterunt reges terræ, & principes conuenerũt in vnum aduersùs Dominum & aduersùs Chriſtum eius. Pſal. 2.

Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me. Pſal. 21.

In eo dum conuenirent ſimul aduersùm me, accipere animam meam conſiliati ſunt. Pſal. 30.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Pſal. 37.

Ego autem tãquàm ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Gloria patri. Sicut erat in principio &c.

ANTIPH.

DOminus tanquàm ouis ad victimã ductus eſt, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Eſa. 53.

CAPITVLVM.

SIcut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuũ. Deo gratias. Reſp. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus. Verſ. Captus eſt pro Thre. 3.

pecca-

peccatis noſtris ChriſtusDominus. Gloria patri. Spiritus. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et nè nos. Verſ.

Iohan.1. Verbum caro factum eſt. Reſp. Et habitauit in nobis. Credo carnis reſurrectionem. Et vitam

Heb.12. æternam. Verſ. Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Reſp. Omni confuſione contempta.

ORATIO.

Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora diei prima Pilato præſentatus, iudex iudicum duriſſimum iudicium pertuliſti, tibi deuotiſſimè ſupplicamus, vt nobis miſeris peccatoribus ſubuenias iudicando, nè in extremo iudicio æterno damnemur ſupplicio, ſed tuis fidelibus mereamur ſociari in cæleſtibus: Qui viuis & regnas &c.

AD TERTIAM.



Deus

DEus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri & filio, & Spirituiſancto. Sicut erat in principio. Laus tibi Domine rex.

HYMNVS.

Ora qui ductus tertia fuiſti ad ſupplicia, Chriſte ferendo humeris crucem pro nobis miſeris.

Fac nos ſic te diligere, ſanctamq; vitam ducere, vt mereamur requie frui cæleſtis patriæ.

Laus, honor Chriſto, &c. pag. 487.

PSALMVS.

EGo ſum vermis, & non homo, opprobriū hominum & abiectio plebis. Pſal. 21.

Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Pſal. 72.

Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam, & reuerentiam meam. Pſal. 68.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Pſal. 34.

Diſſipati ſunt nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Gloria patri. Pſal. 34.

ANTIPHONA.

QVotidiè apud vos eram in templo docēs, & non tenuiſtis me, & eccè flagellatum ducitis ad crucifigendum. Matt. 26.

CAPITVLVM.

CHriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt 1. Pet. 2.

dolus

dolus in ore eius. Deo gratias. Reſp. Propoſito
Heb.12. ſibi gaudio, Suſtinuit crucē. Verſ. Omni confuſione cōtempta, Suſtinuit crucē. Gloria patri. Propoſito ſibi gaudio. Verſ. Oblatus eſt,
Eſa.53. quia ipſe voluit. Reſp. Et non aperuit os ſuum.

ORATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora diei tertia ad crucis pœnam pro ſalute mundi ductus es, te ſuppliciter exoramus, vt per virtutem tuæ ſanctiſſimę paſſionis omnia peccata noſtra deleas, & ad tuæ beatitudinis gloriam nos miſericorditer perducas: Qui viuis & regnas Deus &c.

AD SEXTAM.



DEus in adiutorium. Dñe ad adiu. Gloria. Antiph. Laus tibi Domine rex æternæ.

HYMNVS.

HYMNVS.

CRucem pro nobis ſubijt, & ſtans in illa ſitijt IESVS, *ſacratis manibus foßis clauis & pedibus.*

Honor & benedictio ſit crucifixo filio, qui nos ſuo ſupplicio redemit ab exilio.

Laus, honor Chriſto vendito, &c. Vt *ſup.*487.

PSALMVS,

PAuper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus. Pſal.87.

Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Pſal.21.

Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.

Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Gloria patri, & filio, & ſpirituiſancto.

Sicut erat in principio &c.

ANTIPHONA.

POſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Iohã.19.

CAPITVLVM.

HVmiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Phil.2.

Deo gratias. Reſp. Oblatus eſt, quia ipſe voluit.

luit. Verſ. Et non aperuit os ſuum. Quia. Glo.
Eſa.53. Oblatus eſt. Verſ. Tradidit in mortem animam ſuam. Reſp. Et cum ſceleratis reputatus eſt.

ORATIO.

DOmine IESV CHRISTE, fili Dei viui, qui hora diei ſexta in Golgatha cum magno tumultu crucis patibulum aſſcendiſti, in qua ſalutem noſtram ſitiens felle & aceto te potari permiſiſti: te ſupplices deprecamur, vt accenſo & inflammato corde noſtro ſitire nos facias calicem tuæ paſſionis, & in te ſolo Domino crucifixo, iugiter delectari: Qui viuis &c.

AD NONAM.



DEus in adiutoriũ. Dñe ad adiuuan. Glor.
ANTIPHO. Laus tibi Dñe rex æter.

HYMNVS.

Be-

Beata CHRISTI *paſſio ſit noſtra liberatio, vt per hanc nobis gaudia parata ſint cæleſtia.*

Gloria CHRISTO *Domino, qui pendens in patibulo, clamans emiſit ſpiritum, mundumq; ſaluans perditum.*

Laus, honor Chriſto vendito, &c. Vt *ſupr.*487.

PSALMVS.

DEVS DEVS meus, reſpice in me, quarè me dereliquiſti? lõgè à ſalute mea verba delictorum meorum. Pſal.21.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimìs: rugiebam à gemitu cordis mei. Pſal.37.

Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni. Pſal.68.

Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

In manus tuas commendo ſpiritũ meum, redemiſti me Domine DEVS veritatis. Pſal.30.

Gloria.

ANTIPH.

IESVS autem cùm accepiſſet acetum, dixit: Conſummatũ eſt, & inclinato capite, tradidit ſpiritum. Iohã.19.

CAPITVL.

CHriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. Deo gratias. Reſ. Tradidit in mortẽ animã ſuam. Verſ. Et cum ſceleratis reputatus eſt. Animã. Gloria. Tradidit. Verſ. Verè languores noſtros ipſe tulit. Reſp. Et peccata noſtra ipſe portauit. 1. Pet.3. Eſa.53.

ORATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora diei nona expanſis in cruce manibus, & inclinato capite Deo patri ſpiritum tradidiſti, & claue mortis tuæ digniſſimæ paradiſum reſerâſti: concede nobis ſupplicibus tuis, vt in hora mortis noſtræ animas noſtras ad te, qui verè paradiſus es, facias miſericorditer peruenire: Qui viuis & regnas &c.

AD VESPERAS.



DEVS in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, &c. Laus tibi Domine.

PSAL-

PSALMVS.

QVæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Pſal. 9.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Pſal. 30.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.

Aruit tanquàm teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me. Pſal. 21.

Qui videbant me, foràs fugerunt à me: obliuioni datus ſum tanquàm mortuus à corde,

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio &c.

ANTIPHONA.

Plangent eum quaſi vnigenitum, quia innocens Dominus occiſus eſt. Zach. 2.

CAPITVLVM.

SIc Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Deo gratias. Iohã. 3.

HYMNVS.

QVi preſſura mortis dura ſoluiſti nexus criminum: nos ad pacem duc veracem, IESV *corona virginum.*

In flagellis potum fellis bibiſti amariſsimè, pro peccatis perpetratis, æterne rex altiſsime.

Noſtræ genti recolenti tuæ mortis ſupplicium, da

virtutem & ſalutem, I E S V *redemptor omnium.*

In amara crucis ara fudiſti riuos ſanguinis, I E S V *digne, rex benigne, conſors paterni luminis.*

Sanguis Chriſti, qui fuiſti peremptor hoſtis inuidi, fac ſecurè nos venire ad cœnam agni prouidi.

Laus, honor C H R I S T O *vendito, & ſine cauſa prodito, paſſo mortem pro populo in aſpero patibulo. Amen.*

VERSVS.

Eſa. 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Reſp. Et liuore eius ſanati ſumus.

CANTICVM B. MARIAE.

Luc. 1.

MAgnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus &c. pag. 450.

ANTIPHONA.

O magnum pietatis opus, mors mortua tunc eſt, quandò ſuper lignum mortua vita fuit. Domine exaudi.

OREMVS.

DOmine IESV Chriſte fili Dei viui, qui hora diei veſpertina iam morte peremptus de cruce deponi, & in tuæ mátris manibus (vt piè creditur) recipi voluiſti: concede propitius, vt depoſitis peccatorum noſtrorum ſarcinis, ante conſpectum diuinæ Maieſtatis tuæ præſentari valeamus: Qui viuis &c.

AD COMPLETORIVM.

Con-



CОnuerte nos DEVS ſalutaris noſter. Pſal. 84.
Et auerte iram tuam à nobis.
Deus in adiutorium. Domine ad adiuuandũ. Pſal. 69.
Gloria patri. Laus tibi Domine. Pſal. 87.

PSALM.

LOngè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.

Aeſtimatus ſum cum deſcendẽtibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris, quorum non es memor ampliùs, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis & in vmbra mortis.

Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Gloria patri,& filio,& Spiritui ſancto: Sicut erat in principio &c.

ANTIPHONA.

Caro mea requieſcet in ſpe.

CAPITVLVM.

1.Pet.4. CHriſto in carne paſſo, & vos eadem cogi-
Luc.14. tatione armamini. Deo gratias. Reſp. Oportuit Chriſtum pati. Verſ. Et ita intrare in gloriam ſuam. Chriſtum. Gloria patri.&c. Oportuit.

HYMNVS.

QVi iacuiſti mortuus in petra rex innocuus, fac nos in te quieſcere, vitamq; ſanctam ducere.

Succurre nobis Domine, quos redemiſti ſanguine, & duc nos ad ſuauia æternæ lucis gaudia.

Laus, honor Chriſto vẽdito, & ſine cauſa prodito, paſſo mortem pro populo in aſpero patibulo. Amen.

1.Cor.15 Verſ. Mortuus eſt propter delicta noſtra :
Rom.4. Reſpon. Et reſurrexit propter iuſtificationes noſtras.

CANTICVM SIMEONIS.

Luc.2. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, &c. pag. 451.

ANTIPHONA.

SAlua nos Ieſu Chriſte ſaluator, qui tuam recolimus ſanctiſſimam paſſionem, vt per ipſam ab omnibus inimicorum inſidijs defenſi, tibi ſemper placeamus, & requieſcamus in pace. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie elei-

on. Pater noſter. Et nè nos inducas in tentationem, Sed libera nos.

VERSVS.

In pace in idipſum. Reſp. Dormiam & requieſcam. Credo carnis reſurrectionem. Et vitam æternam. Pſal. 4.

VERSVS.

Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem. Reſp. Mortem autem crucis. Phil. 2. Domine, exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat. Pſal. 101.

ORATIO.

DOmine IESV Chriſte fili Dei viui, qui hora Completorij in ſepulcro quieuiſti, & à matre tua mitiſſima & ab alijs mulieribus planctus & lamentatus fuiſti: fac nos, quæſumus, tuæ paſſionis lachrymis abundare, & tota cordis deuotione ipſam tuam ſanctiſſimam paſſionem plangere, & eam ſemper quaſi recentem ardenti cordis deſiderio retinere: Qui viuis & regnas Deus, Per omnia &c.

ALIA DOMINICÆ PASSIONIS HORARIA COMMEMORATIO, BREVIOR QVIdem, ſed deuotiſſima.

AD MATVTINAS ANTIPHONA.



LAus ſit CHRISTO qui proditur, trahitur ad iudicium: Velatur & conſpuitur, cæditur palmis hoſtium. Nec reclamat, nec loquitur ad falſum teſtimonium. Sed propter omnes patitur, vt culpas tollat omnium.

VERSVS.

Eſa. 50. Corpus meum dedi percutientibus. Reſ. Et genas meas vellentibus.

OREMVS.

Luc. 2. DOmine IESV Chriſte, qui nocturno tempore naſci pro nobis dignatus es ex Maria virgine, & poſtmodùm à Iudæis com-

Luc. 22. præhendi, conſpui, & alapis cædi voluiſti, qui ad infernum deſcendiſti, captiuos tuos liberâſti, & victor à morte reſurrexiſti: Pro tui nominis gloria illumina mentis noſtræ tenebras, vt naſcatur in nobis nouæ vitæ ſanctitas.

tás. Fac nos contumelias & opprobria pro tui nominis gloria ſpernere: educ nos de lacu miſeriæ & de luto fæcis, fac nos de vitijs reſurgere ad virtutes, vt cum electis tuis paradiſi perfruamur delicijs : Qui viuis & regnas Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

AD PRIMAM ANTIPHONA.

LAus ſit Deo filio, quẽ coadunati damnãt in concilio viri ſcelerati. Et tradunt iudicio Pontij Pilati. Verſ. Circundederunt me canes multi. Reſp. Concilium malignantium obſedit me. Pſal. 21.

OREMVS.

DOmine IESV Chriſte, qui hora diei prima contumelioſi latronis ad inſtàr Pilato præſidi præſentatus, ſæuientium contra te crudeliſſimas voces tanquàm manſuetiſſimus patientiſſimè toleraſti, & à morte ipſa hora reſurgens, Mariæ Magdalenæ apparuiſti : appáre nobis, quæſumus, per internam gratiam, & da nobis veram pœnitentiam, vt de malis quæ fecimus, non diſtrictè iudicemur, nè in extremo iudicio ſupplicijs deputemur æternis, ſed tuis fidelibus in cæleſtibus adiungamur : Qui viuis & regnas Deus, Per omnia.

AD TERTIAM ANTIPHONA.

LAus Chriſto ſit & gloria, qui pro ſalute ſeculi fert ſpinas & ludibria, & ad locum patibuli ducitur hora tertia, damnatus voce populi. Verſ. Vulneratus eſt propter iniquita- Eſa. 53.

teſ noſtras. Verſ. Attritus eſt propter ſcelera noſtra.

OREMVS.

DOmine Ieſu Chriſte, qui hora diei tertia dura pro nobis ſuſtinuiſti verbera, &
Actor. 2. in ipſa hora corda diſcipulorum tuorum ſpiritusſancti infuſione feciſti inflammata, da nobis mala, quæ fecimus, digna caſtigatione punire, & flammas vitiorum noſtrorum veræ compunctionis aquâ extinguere, vt dum intùs & forìs pro peccatis noſtris affligimur, tui ſpiritûs dulcedine mereamur conſolari: Qui viuis & regnas Deus, Per omnia ſecula.

AD SEXTAM ANTIPH.

LAus ſit Chriſto, qui dum à gentibus confunditur in crucis arbore, patrem rogat pro peccatoribus, toto ſparsìm diſtentus corpore. Blaſphematur à tranſeuntibus, quaſi fra-
Pſal. 21. ctus humano robore. Verſ. Foderunt manus meas & pedes meos. Reſp. Dinumerauerunt omnia oſſa mea.

OREMVS.

DOmine Ieſu Chriſte, qui hora diei ſexta multis amaritudinibus repletus, & innumeris contumelijs & illuſionibus afflictus, tandèm cruci (quam tu ipſe geſtaueras) manibus & pedibus actoto corpore diſtentus, ferreis clauis nudus affixus, quinque tibi inflicta vulnera pro ſalute noſtra pertuliſti: ad te confugientes brachijs miſericordiæ clementer ſuſcipe, & vulnera mentis noſtræ tuo ſa-

ſana medicamine, vt purgati à peccatorum ſordibus, templum efficiamur Spirituſſancti: Qui viuis & regnas Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

AD NONAM ANTIPH.

LAus Chriſto, qui latrunculum reuocauit ad meritum: Matri dedit diſcipulum tanquàm miniſtrum inclytum. Sicque poſt fellis poculum, clamans emiſit ſpiritum. Verſ. Dederunt in eſcam meam fel. Reſp. Et in ſiti mea potauerunt me aceto. Pſal. 68.

OREMVS.

DOmine Ieſu Chriſte, qui hora diei nona totis miſericordię viſceribus in cruce affluens latroni confitenti paradiſum mellifluo ore promiſiſti, patrem pro inimicis incomparabili bonitate exoràſti, matrem diſcipulo dulciſſima allocutione commiſiſti, amaritudinem myrrhæ, vini, fellis & aceti ſitiens accepiſti, ſpiritum in manus patris magna voce clamando tradidiſti, de latere tuo lancea militis perforato redemptionis noſtræ precium produxiſti: concede nobis pœnitentiam latronis imitari, exemplo tuo pro inimicis noſtris deprecari, genitricem tuam dignè venerari, torrente voluptatis tuæ inebriari, ſagittis tuis vulnerari, ſpiritum noſtrum in manus gratiæ tuæ omni tempore commendari: Qui viuis & regnas Deus, &c.

AD VESPERAS ANTIPHONA.

Lauda

LAuda Chriſtũ pauper homuncio, qui per ſpinas, clauos, arundinem: Pro ſceleris tui remedio ſuum fudit in cruce ſanguinem. Et concluſus in terræ medio, tuæ mortis geſſit imaginem. Tam felici, tam dulci precio, te miſerum redemit hominem. Verſ. Poſuerunt me in lacu inferiori. Reſp. In tenebroſis & in vmbra mortis.

Pſal. 87.

OREMVS.

DOmine Ieſu Chriſte, qui hora diei veſpertina ad indicium tuæ inæſtimabilis dilectionis diſcipulis tuis corporis & ſanguinis tui tradidiſti myſteria, & ad demonſtrandum nobis veræ humilitatis exemplum coram ipſis genu flexo pedes eorum lauiſti, & ſequenti die eadem hora de cruce depoſitus es, pro tui nominis gloria depone mentis noſtræ vitia, & perpetrata relaxa ſcelera, quatenùs cum pura conſcientia & humilitate vera dignè ſumamus myſteria, vt ſint nobis remedium hîc & in patria: Qui viuis & regnas Deus, &c.

AD COMPLETORIVM, *Antiphon.*

LAus ſit Chriſto, qui patrum veterũ morte ſua morſum abſorbuit, Dum mortuus momordit infernum, & mortuos à morte rapuit. Sic mors mortem excluſit ſcelerũ, dum mortua caro refloruit. Verſ. Ero mors tua ô mors. Reſp. Ero morſus tuus inferne.

Oſee 13. 1. Cor. 15.

OREMVS.

Do-

DOmine Ieſu Chriſte, qui ſerò hora Completorij poſt longum exhortationis ſermonem à diſcipulis auulſus & egreſſus foràs, mœſtus & triſtis tèr patrem orâſti, in qua oratione factus eſt ſudor tuus ſanguineus, dehinc te ad mortem quærentibus vltrò occurriſti, diſcipulo te tradenti oſculum nón negâſti, ſequenti die hora hac tumulatus in ſepulcro quieuiſti. Pro tui nominis gloria aufer à nobis triſtitiam, vt dum tua defleuerimus vulnera, à te conſolari mereamur hîc & in cæleſti patria: Qui viuis & regnas Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

OBSECRATIONES, ORATIONES, INTERPELLATIONES, ET GRATIARVM actiones, dicendæ, dum audis Sacrum, in vſum Miſſæ religiosè adſtare volentium, ſedulò collectæ per D. Iohannem Gropperum.

Intereà quòd ſacerdos ſe induit, dic ſequentem orationem.

O Dulciſſime Dñe IESV CHRISTE, omnipotens DEVS, aperi cor meum ac labia mea ad benedicendum & glorificandum

dum nomen tuum, quod eſt ſuper omne nomen benedictum: mundaque cor meum ab vniuerſis malis,& peruerſis cogitationibus, vt te iugiter labia mea collaudent, mens meditetur, vita glorificet, anima benedicat, vt quia tua ſola bonitate ad laudem & gloriam nominis tui ſum creatus, tibi ſemper quandiù in hac mortalitate fuero, deuotus permaneam, vt in conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ tibi dignè merear famulari: Qui cum Deo patre viuis & regnas in vnitate ſpiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Subiunge Confeßionem ſequentem.

Ex libro Eccleſiæ antiquiſſimo excerpta. Heb.8. & 9. Matt.18.

COnfiteor tibi peccata mea æterne Pontifex & ſanctorum miniſter, & veri tabernaculi ſacerdos, qui ſemel in anno huius ſeculi in myſtica ſancta intrâſti, & ſanctum & immaculatum agnum proprij corporis tui, ad hoſtiam dediſti pro peccatis noſtris: Tibi confiteor, quia debitor ſum tibi. Non ſolùm decem millia talenta delictorum meorum, ſed totius vitæ meæ rationem reddere debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfectè à me cuſtoditum ſcio, in quo ego ſermone, viſu, auditu, guſtu, greſſu, opere, cogitatione, aut ſuaſione, vel conſenſu me deliquiſſe confiteor. Sed nunc Domine præuenio faciem tuam in confeſſione, &

Pſal.94. & 137.

in conſpectu angelorum, & omnium ſanctorum tuorum confiteor tibi peccata mea, &

veniam poſtulo pro delictis meis. Teque obſecro, vt in hoc tempore accepto exaudias me, & in his diebus ſalutis adiuues me, vt in præſenti ſeculo perfectè valeam recognoſcere peccata mea, & tibi æterno iudici confiteri, & ſic veniam conſequi omnium delictorum meorum, quatenùs ad tremendum iudicium tuum, ſecurum me ab omnibus accuſationibus inimici facias peruenire: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. 2.Cor.6.

Dum variæ cogitationes animam grauant inter orandum, dic ſequentem Orationem B. *Auguſtini.*

COr mare magnum tumens fluctibus, tu Domine, qui imperâſti ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna: veni, & gradere ſuper fluctus cordis mei, vt tranquilla & ſerena mihi fiant omnia, quatenùs vnum bonum Dominum meum amplectar te, & dulce lumen oculorum meorum contempler te, ſine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat Domine mens mea ſub vmbra alarum tuarum ab æſtibus cogitationum huius ſeculi, vt in tui refrigerij temperamento abſconſa lætabunda cantet, & dicat: In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Dormiat memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, iuſtitiam diligat: fac me illic teneri mente, vbi vera haberi gaudia cer- Matt.8. Pſal.4.

tiſſimum eſt. Da mihi Domine, donèc his fragilibus aſſiſto membris, tibi adhærere, ſicut
1.Cor.7. ſcriptum eſt: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo. Tene mentem meam, nè ad ima tenebroſæ vallis corruat, nè interueniente vmbra terræ, à te vero iuſtitiæ ſole ſeparetur, & obducta tenebris nebula, prohibeatur alta reſpicere. Sursùm tendo ad pacis gaudia, luciſque delectabilem ſtatum. Tene cor meum manu tua, quia ſine te ad altiora non rapitur. Illuc feſtino, vbì ſumma pax regnat, & iugis tranquillitas rutilat. Tene & rege ſpiritum meum, vt te duce aſſcendat in illam regionem vbertatis, vbì paſcis Iſrael in æternum pabulo veritatis, ſed volitanti animæ multa ſunt quæ obſtrepunt, iuſſu tuo Domine conticeſcant mihi omnia: in te ſolo creatore omnium oculos fidei figat: tibi inhiet, te meditetur, te contempletur, te ſibi ante oculos ponat, te ſub corde reuoluat verũ & ſummum bonum, & gaudiũ ſine fine manſurum.
Iſa. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm mirabiliter inſpiras cordibus amatorum tuorum: quàm mira ſuauitas amoris tui, quo perfruuntur illi, qui nihil præter te diligunt, nihil etiam cogitare concupiſcunt. Da mihi per immẽſam miſericordiam tuam Domine, vt dum adhuc in hoc fragili corpuſculo poſitus prælibare valeam aliquatenùs dulcedinem tuam. Da vt cordis palato guſtem & ſapiam, quàm dulcis & ſuauis

es Dñe, ſicut ſcriptum eſt: Guſtate & videte q̃ ſuauis eſt Dñs, beatus vir qui ſperat in eo. Tibi laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Pſal. 33.

Sequitur Confeßio, quam mutuò & viciſſim faciunt Sacerdotes cũ miniſtris altaris, & aßiſtentes.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, *Amen.*

SACERD. Adiutórium noſtrum in nomine Domini. Pſal. 123.

ASSIST. Qui fecit cælum & terram.

SACERD. Et introibo ad altare Dei.

ASSIST. Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Pſal. 42.

SACERD. Confitemini Domino, quoniam bonus. Pſal. 104. 105. 106.

ASSIST. Quoniam in ſeculum miſericordia eius.

SACERD. Confiteor omnipotenti Deo cæli, & beatæ Mariæ virgini, & omnibus ſanctis Dei, & vobis: quòd ego infelix peccator peccaui nimìs in vita mea, contra legem Dei mei cogitatione, locutione, & opere, mea culpa, mea maxima culpa: Ideò precor glorioſiſſimam virginem Mariam, & omnes ſanctos Dei & vos, orare pro me peccatore.

ASSIST. Deo gratias. Miſereatur veſtrî omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis veſtris, perducat vos Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſine macula cum gaudio in vitam æternam.

SACERD. Amen.

ASSIST. Confiteor &c. Vt ſup.

SACERD. Miſereatur, &c. vt ſup. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, ſpatiū veræ & fructuoſæ pœnitentiæ, cor ſemper pœnitens, perſeuerantiam in bonis operibus, finem bonum & conſolationem Sancti ſpiritûs tribuat nobis pius pater & miſericors Dn̄s.

ASSIST. Amen.

Pſal.113. SACERD. Non nobis Domine, non nobis.

ASSIST. Sed nomini tuo da gloriam.

Pſal.18. SACER. Ab occultis meis munda me Dn̄e.

ASSIST. Et ab alienis parce ſeruo tuo.

Pſal.60. SACERD. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

ASSIST. A facie inimici.

Pſal.101. SACERD. Dn̄e exaudi orationem meam.

ASSIST. Et clamor meus ad te veniat.

SACERD. Oremus.

EXaudi, quæſumus Domine, ſupplicū preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Cùm ſacerdos aſſcendit ad altare, dic tu:

TRinitas ſancta Dn̄e Deus ſalutis meæ, qui te creatorem, ſaluatorem & reparatorem meum grauitēr offendi: à te veniā peto, qui 2.Cor.1. es omnium miſericordiarum & totius conſolationis pater, ac rogo te, vt me iuſtifices, &

& in peccatis mortuum viuifices & reſuſcites, per eum, per quem mortuos reſuſcitas & viuificas, & impios iuſtificas, Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum.

Præſta mihi quod rogaris, de indulgentia tua accipere, quem agnoſcis fidutiam de ſua iuſtitia non habere.

AD INTROITVM.

TE patrem ingenitum, te filium vnigenitum, te Spiritum ſanctum paracletũ, ſanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Aug. lib. Meditat. cap. 11.

Gloria patri qui creauit nos: gloria filio, qui redemit nos: gloria Spiritui ſancto, qui ſanctificauit nos: gloria ſummæ & indiuiduę Trinitati, cuius opera inſeparabilia ſunt, cuius imperium ſine fine manet. Ibid. c. 33.

Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.

Litania.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater de cælis Deus, miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.

Sequitur Hymnus Angelicus.

GLoria in excelſis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Luc. 2.

Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex cæleſtis, Deus pater omnipotens, Domine fili vnigenite, Ieſu Chriſte altiſſime. Domine Deus agnus Dei, filius patris, Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram patris, miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte. Cum ſancto ſpiritu in gloria Dei patris, Amen.

Ad primam Collectam, dic:

OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum, & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod pręcipis: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritusſancti Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Ad recitationem lectionis Propheticæ, ſeu Apoſtolicæ, quæ Epiſtola vocatur, diligenter auſcultandũ eſt: perindè àc ſi ipſe Propheta vel Apoſtolus coràm conſtitutus, nobis concionaretur.

Ad Graduale, & Iubilationem.

Ex Iubilatione ſeu

O Adoranda Trinitas, ô veneranda vnitas: Per te ſumus creati vera æternitas. Per te ſumus redempti ſumma tu charitas. Populum cunctum tu protege, ſalua, libera, eripe,

pe,& emunda. Te adoramus omnipotens: Tibi canimus, tibi laus & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen. proſa Eccleſiaſtica.

Euangelij verba demiſſo vultu & erecta mente (veluti ſi Domino prædicanti aſsiſteremus) audienda, & meditanda ſunt: quod facere monet Diaconus, *dicens :* Dominus vobiſcum, &c. *Et glorificandus Dominus, quòd miſerit nobis verba ſalutis: & glorizatio cordis, ſigno inoſculationis verborum Chriſti, indicanda eſt.*

Sequitur Symbolum quod recitatur in Miſſa.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, Viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, Et homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris. Et iterùm venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dñm & viuificantem : qui ex patre filioque procedit. Qui cum patre & fi-

lio ſimul adoratur & conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorem. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi. Amen.

Oratio S. Hilarij poſt Symbolum.

SAncta Trinitas, conſerua hanc, oro, fidei meæ incontaminatam religionem, & vſquead exceſſum ſpiritûs mei dona mihi hanc conſcientiæ meæ vocem, vt quod in regenerationis meæ ſymbolo baptizatus in patre & filio & Spirituſancto, profeſſus ſum, ſemper obtineam: patrem ſcilicet te noſtrum, filium vnà tecum adorem, & Sanctum ſpiritum tuum, qui ex te per vnigenitum tuum eſt, promerear, qui mihi idoneus ad fidem
Ioh.17. teſtis eſt, dicens: Pater, omnia mea tua ſunt, & tua mea. Deus meus Ieſus Chriſtus, manens in te, & ex te, & apud te ſemper De-
Rom.9. us, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Quandò procedit Sacerdos ad oblationem dic:

Irenęus. DOmine ſancte pater, qui per IESVM Chriſtum filium tuum, noui Teſtamenti nouam oblationem docuiſti, quam Eccleſia à ſanctis Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert tibi Deo rerum omnium cre-
Oblatio atori & ſeruatori, proferens ſignificante my-
panis & ſterio primitias ex tuis creaturis & donis,
panem

panem & vinum aqua mixtum, in carnem & ſanguinem dilecti filij tui mox conſecranda, vt ea oblatione repræſentet illum, qui eſt panis viuus deſcendens de cælo, dans vitam mundo, qui & ſanguine & aqua de latere ſuo profluentibus, lauit nos à peccatis noſtris: Digneris ſumme Deus hanc oblationem, quam Eccleſia tua Catholica tibi per Sacerdotem, noſtris votis accedentibus, offert; placatus accipere pro cuncto populo tuo, quem acquiſiſti precioſo ſanguine eiuſdem dilecti filij tui Domini noſtri IESV Chriſti.

vini myſtica.
Auguſt. de verbis Domini ſecundùm Lucam Serm. 28.

TV misereris noſtrî Domine, & nihil odiſti omnium quæ feciſti. Memorare ergò quæ ſit noſtra ſubſtantia, quia tu pater noſter es: nè iraſcaris nobis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates noſtras, & ignem Sanctiſpiritûs in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat, & honorificet, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur.

Sap. 11.
Pſal. 88.
Dan. 9.

DOmine, qui iuſtificas impios & viuificas mortuos, viuifica & reſuſcita me Domine Deus meus. Da mihi Domine, compunctionem cordis, & lachrymas oculis meis, vt

 die-

diebus & noctibus omnes negligentiæ meæ dies defleam cum humilitate & puritate cordis : appropiet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris Domine contra me, quem adiutorem quæram? aut quis miſerebitur iniquitatibus meis? Memento Domine

Matt.15. Luc.18. Luc.22.

quòd Chananæam, & Publicanum vocâſti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem ſuſcepiſti, & meas preces ſuſcipe miſericors Deus, Saluator, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Quandò ſacerdos thurificat, dic :

Pſa.140. DIrigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, fiatq; tibi acceptabilis, & aſſcendat ad te in odorem ſuauitatis.

Quandò ſe vertit ad circumſtantes, dicens :

Orate pro me, &c. dic :

ORent pro te om̃es ſancti & electi Dei. Spiritusſanctus ſuperueniat in te, & virtus altiſſimi obumbret tibi. Exaudiat te Dominus

Pſal. 19. in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te. Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Cypria. in Orat. Dominicam. Oratio. Canon Miſſæ. Ruth.2.

Sequitur quotidiana præfatio, qua ante Orationẽ præmiſſa, ſacerdos parat adſtantium mentes, incipiens à concluſione ſecretæ orationis, vt adſtantes, ad eam & oblationem, addant ſuum Amen.

PEr omnia ſecula ſeculorum. CHORVS *nomine populi*, Amen. SACERD. Dñs vobiſ-

biſcum. CHOR. Et cũ ſpiritu tuo. SACERD. Surſùm corda. CHOR. Habemus ad Dñm. SACERD. Gratias agamus Dño Deo noſtro. CHOR. Dignum & iuſtum eſt.

VEiè dignũ & iuſtum eſt, ęquũ & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere Dñe ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Maieſtatem tuam laudant angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates: Cæli cęlorumque Virtutes, ac beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes. Oblatio gratiarũ actionis.

Hymnus angelicus.

SAnctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cęli & terra gloria tua, Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis. Eſa.6. Apoc.4. Matt.21.

Intereà dic:

GRatias ago tibi clementiſſime & benigniſſime amator hominum Deus: Qui per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrũ, cùm non eſſemus, potenter feciſti nos, & cùm perditi fuiſſemus culpa noſtra, mirabiliter liberâſti & recuperâſti nos. Gratias ago pietati tuę ex totis pręcordijs meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionẽ (qua nos miſeros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es) miſiſti eundem vnigenitũm tuum de ſinu tuo, ad publicũ noſtrum, ſaluare nos, Aug.lib. Meditat. cap.14. Iohan.3.

qui

qui tunc peccatores & filij perditionis eramus. Gratias ago tibi pro ſancta incarnatione & natiuitate eius, & pro glorioſa genitrice eius, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos & propter noſtram ſalutem, vt ſicut verus Deus ex Deo, ità verus homo ex homine eſſet. Gratias tibi ago pro paſſione & cruce eius, pro morte & reſurrectione eius, pro aſſcenſione eius in cælum, & ſede Maieſtatis eius ad dexteram tuam. Gratias tibi ago pro ſacratiſſima illa effuſione precioſi ſanguinis eius, quo ſumus redempti, ſimul & pro ſacroſancto & viuifico myſterio corporis & ſanguinis eius, quo in eccleſia tua paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, & vnius ſummæ diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſicamâſti & ſaluâſti, per vnicum &
Iohan.3. dilectum filium tuũ. Sic enim dilexiſti mundum, vt vnigenitum tuum dares, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vi-
Iohã.17. tam æternam. Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcamus te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, per fidem rectam & condigna fidei opera. Gratias deniq; ago labijs & corde, & omni qua valeo virtute infinitæ miſericordiæ tuæ, Dñe Deus noſter, pro omnibus miſerationibus & beneficijs tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, per eundem filium tuum Saluatorem

rem & recuperatorem noſtrum, qui mortuus Rom.4.
eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter
iuſtificationem noſtram, & nunc viuens
ſine fine ſedet ad dexteram tuam, & interpellat Mar.16.
pro nobis per ſuam humanitatem, & ſimul Rom.8.
tecum miſeretur ſecundùm ſuam diuinitatem,
qua tibi coæqualis eſt: Cui omne genu 1.Ioh.2.
flectitur, cæleſtiũ, terreſtrium & infernorum, Phil.2.
per quem omnis cæleſtis militia te concelebrans Eſa.6.
canit: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Apoc. 4.

Quandò Sacerdos tacitè intrat in Sacrum CANONEM *dic:*

SVmme Sacerdos & vere Pontifex IESV Christe, q te obtuliſti Deo patri in ara crucis, hoſtiam puram & immaculatam pro nobis miſeris peccatoribus, qui carnem tuam & ſanguinem nobis in Sacramento (quod tua diuina omnipotentia conficitur) reliquiſti, & hoc ſacrificium inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemoratione tuî pro ſalute noſtra: Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, vt concedas mihi peccatori venerandæ paſſionis tuæ dignam memoriam agere, & me totum meaq; omnia tibi (qui es Dominus & redemptor meus) reſignare & conſecrare, & huic cæleſti ſacrificio intereſſe cum timore & tremore & cordis puritate & lachrymarum fonte cum lætitia ſpirituali & cæleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum angelorum tuorũ in circuitu meo, Amẽ.

Ambro. in precatiõe 1. præpar. ad Miſsã.

Oblatio votiua, qua noſipſos Deo conſecramus.

Vis hoc ſacrificium honorare, animam tuam offeras. Chryſoſt. Tom.1. Hom.51.

Eccè

Poſtulatio ſeu oratio pro omni gradu Eccleſiæ.

Ambr. in precat. 2. præparatoria ad Miſſam.

Eccè dum pro me ſolicitus talia poſtulo, meminiſſe charitatis debeo, vt & pro alijs te exorem. Te igitur amatorem eccleſiæ tuæ deprecor Deus pro ſacerdotibus eius, vt verbis ſimul & meritis vitæ, populum ſibi creditum ad cæleſtem patriam inuitent. Pro Regibus, Ducibus, & ijs qui in ſublimitate poſiti ſunt, vt patres orphanorum & Iudices viduarum ſemetipſos exhibeant, miſerijsque inopum & gemitibus pauperũ doleãt, nil niſi quod iuſtum eſt, in iudicio quærant, ſicque adminiſtrent præſentia, nè amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus ac mundo renunciantibus, vt præſentia deſpiciant, futura requirãt, nè ſe negocijs ſecularibus implicent, vt tibi militantes placeant, cui ſe probauerunt. Pro coniugatis, vt tali affectu ſe diligant, nè à deſiderio patriæ cæleſtis exorbitent.

Aug. libr. Meditat. cap. 40.

Oro Dñe pro vniuerſa ſancta eccleſia tua Catholica. Da igitur Dñe Sacerdotibus concordiam, Regibus & Principibus iuſtè iudicantibus tranquillitatem & pacem. Præſta Dñe rex æterne virginibus caſtimoniam, Deo dicatis continentiam, Coniugatis ſanctimoniam, Pœnitentibus indulgentiam, Viduis & Orphanis ſuſtentationem, Pauperibus protectionem, Peregrinantibus reditum, Nauigantibus portum, Et omnibus fidelibus tuis ſalutem.

Ambr. in precat. 1.

Oro quoq; Dñe clementiã tuam, vt ſereno vultu nos famulos tuos ſacri tui noĩs officia pręſtolãtes adſpicere digneris. Et vt nullius ſit

irri-

irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe audire propitius & exaudire digneris. Et vt efficax hæc mea ſit deprecatio, B. Mariæ virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipſam tam nouum acciperet: nouum ſcilicet munus prima offerret, vt puerpera virgo perſeueraret. Nulla præter ipſam tam nouum acciperet, vt Deum virgo pareret, & poſt partum virgo maneret. Apoſtolorum interceſſionem imploro, qui beatiſſimam Mediatoris paupertatem eiuſque paſſionem veſtigio inſequentes, ad tantum celſitudinis culmen peruenerunt, vt quæcunque ligarent ſuper terram, eſſent ligata & in cælis, & quę ſoluerent ſuper terrā, eſſent ſoluta & in cęlis. Atque in extremis ſederent ſuper thronos iudicantes duodecim Tribus Iſrael. Martyrū preces depoſco, qui pro veritate non dubitârunt ſanguinem fundere, nec dilexerunt animas ſuas vſq; ad mortem, vt mortis ſuperarēt authorem. Confeſſorum orationes expoſtulo, qui bella tentantis inimici, dum piè viuerent in Catholica pace, vel etiam hęreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerūt, longioriſque & occulti Martyrij pœnas acceperunt. Taliū Domine Deus preces nunquàm ſpernes, ſi, vt pro me exorēt, ipſe inſpiraueris: Qui in æternitate perenni viuis & regnas cuncta per ſecula, & in omnibus ſeculis. Amen.

Pia cōmemoratio ſanctorū.

Ibidem.

Matt. 16. & 18.

Matt. 19.

O be-

O Benigniſſime & clementiſſime pater,
Rom.3. cuius filius noſtrî amore, cùm adhuc impij eſſemus, formam ſerui accipiens, factus eſt
Phil.2. pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Per hūc te humanitatis habitum, per huius humilitatis ſuſceptionem deprecor, per huius ſacratiſſimam obedientiam, per huius beatiſſimam paſſionem & mortem, quam eccleſia tua in hoc ſacrificio (quod filius tuus inſtituit, & offerri in commemoratione ſuî pro ſalute noſtra præcepit) acceptiſſimam tibi hoſtiam pia recordatione iugi ſacrificio offert & repræſentat, te oro, miſerere meî per eundem filium tuum, qui ſe nobis ineffabili miſericordia hîc præſentem exhibet, in dextera tua nihilominùs manens, qui eſt vnica propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.

Ambr. in preca. 2. Oblatio paſſiõis & mortis Dominicæ.

Luc. 22. 1. Cor. 11 1. Ioh. 2.

Ad eleuationem corporis Dominici, dic:

SAlue ſalutaris victima, pro me & toto genere humano in patibulo crucis oblata. Chriſte rex æterne, homo crucifixe propter hominem, reſpice ſacratiſſimam carnē tuam, pro me cruci clauis affixam, & lancea perforatam. Atque illa quæſo pietas, quæ te traxit & vicit, vt in ſtatera glorioſiſſimæ crucis, totius mundi peccata expiâris: illa te cogat clementia, vt miſerearis meî pleni miſerijs, qui in fonte miſerationis nunquàm manâre ceſſas, cuſtodiens animam & corpus meū in vitā ęternam.

Ad eleuationem calicis.

SAlue nobiliſſime ſanguis de latere Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & totius veteris & nouæ culpæ maculas diluens. Ablue, ſanctifica, & cuſtodi animam meam in vitam ęternam.

Poſt eleuationem Oratio ad Patrem.

OMnipotens pater, qui ſic dilexiſti mundũ, vt filiũ tuum vnigenitum dares, vt omnes qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam ęternam: per hunc dilectum filiũ tuum, cuius beatiſſimam paſſionem, &glorioſam reſurrectionem, & in cęlos aſſcenſionem recolo, te oro deduc de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, libera me à vinculis peccatorum, & quem propria merita faciunt lethalem timere ſęntentiam, per huius dilecti filij tui ad dexteram tuam conſedentis interpellationem, reſtaura placatus ad vitam. Quem enim aliũ dirigam interceſſorem tibi neſcio, niſi hunc qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris? qui ſedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis, aduocatus meus apud te Deum patrem, Pontifex ſummus, non alieno, ſed proprio perfuſus cruore. Hoſtia ſancta & benè placens, & perfecta in odorem ſuauitatis oblata & accepta, agnus ſine macula, qui peccatum non fecit, ſed peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo liuore ſanauit. Hic eſt, quem propter peccata populi tui

Lib. Medit. cap. 8. Iohan. 3. Pſal. 141. Offertur Chriſtus ipſe patri incruento ſacrificio. Medit. cap. 6.

percuſſiſti, licèt ipſe ſit dilectus, in quo tibi benè complacuit. Adſpice mitiſſime pater dilecti filij tui humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Vide redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Oro te Rex ſanctorum per hunc ſanctū ſanctorum, per hunc redemptorem meū, fac
Pſal. 118. me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam ſpiritu vniri, qui mea non horruit carne veſtiri, Ieſus Chriſtus in ſecula benedictus. Amen.

Deindè dic:

Rom. 4. IEſu Dñe, Ieſu pie, Ieſu bone, qui mori dignatus es propter pecccata noſtra, ac reſurrexiſti propter iuſtificationem noſtram: Rogo te per ſaluificam mortem, & per glorioſam reſurrectionem & aſſcenſionem tuam, fac me commori tibi, vt non regnet peccatū in mor-
Apo. 20. tali meo corpore, & reſuſcita me de ſepulcro vitiorum & peccatorum meorum omnium in nouitatem vitæ, & da mihi quotidiè partē in reſurrectione prima, vt in reſurrectione ſecunda mereat veraciter cum ſanctis tuis percipere portionem. Trahe me ſursùm ad te, qui ſedes ad dexterā patris. Trahe me ad te fontem viuum, vt indè hauriens aquam viuam, quæ facta in me fons ſaliens, tranſire faciat à morte in vitam, vt occurram tibi redeunti ad iudicium cum omnibus ſanctis tuis, victurus cum illis ſemper tecum in cælis. Amen.

Ad

Ad memoriam defunctorum.

Rogamus etiam te ſancte pater, pro ſpiritibus fidelium defunctorum, vt ſit illis ſalus æterna ac perpetua ſanitas, gaudium & refrigerium ſempiternum, hoc magnum pietatis Sacramentum: Domine Deus meus, ſit illis hodiè magnum & plenum gaudium de te pane viuo & vero, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo, de carne ſancta & benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccatum mundi, & potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi Domini noſtri, vt conſolati exultent in laude & gloria tua ſancta.

Ambr. in precat. 1. præparatoria.

Iohan. 19.

Mihi quoquè Domine indigno ſeruo tuo, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum miſerearis, & conceſſa in præſenti ſcelerum venia, non me ſinas in futuro ſeculo excruciari cum impijs, ſed aliquam portiunculam dones cum ſanctis tuis in cælis, qui in tua membra cooptati, & in te vnum corpus effecti, gratias (ob tuum pro ſe effuſum precioſiſſimum ſanguinem, quo illos lauiſti) rependentes, pro te & fratribus ſuis glorioſum ſanguinem fundere non dubitârunt, qui te in vita ſua amauerunt, & in morte te ſunt imitati, & ideò coronas triumphales meruerunt. Quorum me, licèt imparem meritis, participem tamen fac ſola miſericordia tua, ſuccurrentibus eorum meritis & precibus. Amen.

Quandò recitatur oratio Dominica, dic:

NOn auderemus te pater cæleſtis, patris vocabulo compellare, indigni qui ſerui dicamur tui, niſi tua gratuita bonitas per filium tuũ nos in huius nominis honorem adoptâſſet, & ille tuî compellandi fiduciam addi-
Matt.6. diſſet, & precandi formulam præſcripſiſſet. Agnoſce ergò dilecti filij tui, quam nos docuit orationem, & effunde ſuper nos ſpiritum pre-
Rom.8. cum, & ſpiritum adoptionis filiorum Dei, qui teſtimonium ferat ſpiritui noſtro, quòd per illum ſimus filij tui, & clamet in cordibus noſtris. Immò nos ardentibus votis & deſiderijs
Matt.6. ad te ſuſpirare & clamare faciat: Pater noſter qui es in cælis, &c. dic vſque in finem.

Sequitur.

Iohan.1. AGnus DEI qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Quandò datur pax, dic:

PAx Dei, quæ verè credentibus datur, vt gaudentes de remiſſo peccato, & donata gratia, mutua ſe charitate complectãtur, quæ
Phil.4. & exuperat omnẽ ſenſum & intellectum, cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras
Hebr.13. in Chriſto Ieſu. Et Deus pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſangui-

guine Teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet nos in omni bono, vt faciamus eius voluntatem, faciatque in nobis quod placeat coram ſe, per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO.

DEus, à quo ſancta deſideria & recta conſilia & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtiũ ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla: Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quandò Sacerdos ſumit Corpus & Sanguinem Domini, dic:

DOmine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: dic tãtùm verbum, & ſanabitur anima mea. Reſpice me à longè ſtantem cum publicano, tundentem pectus, & dicentem tibi: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Da trementi & adoranti tam horrenda myſteria ſpiritaliter ſaltem manducare carnem & bibere ſanguinẽ tuum. Da mihi per viuam in te fidem, inuiſibiliter ſaginari de te, dulciter videlicet recolenti & credenti, benedictam carnem tuã pro me in cruce factam & immolatam, & ſanguinem tuum de latere tuo effuſum, in remiſſionem peccatorũ meorum. Da ſpiritu participare, vt tu in me, & ego in te manens, ſpiritu tuo vegeter & incendar ad

Matt. 8.

Luc. 18.

Chryſoſt.

Aug. lib 3. de doctrina Chriſtia. & in c. credere. de conſec. diſtinct. 2.

uguſt.in currendam viam mandatorū tuorum. Reple
6.Ioan. me ſpiritu vnitatis & charitatis, & conſtabili me in ſocietate omnium ſanctorum tuorum, quæ etiam hoc diuiniſſimo Sacramento ſignatur, quod ex his conficitur, quæ in vnum rediguntur. Da deniquè vt eſuriam & ſitiam, & toto corde deſiderem hunc panem vitæ, qui de cælo deſcendit, non modò ſpiritu per fidē, ſed & in Sacramento de menſa tua, pura & ſecura mente, & caſto corpore frequenter accipere, vt hinc non ſolùm animæ meæ, ſed & carnis ſubſtantia fulciatur & cuſtodiatur in vitam æternam. Amen.

Quandò ſumitur ſanguis, dic:

SAnguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundet conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.

Ad vltimam Collectam dic:

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ità nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, & adſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat, & per te incepta finiatur.

GRatias tibi agimus Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, pro omnibus benefi-

beneficijs & donis tuis, nobis per filiũ tuum in Spiritufančto miſericorditer exhibitis & impenſis, quorum memoriam agimus licèt indigni. Tibi laus, honor, & gratiarum actio, Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

Ad benedictionem Sacerdotis, &c.

BEnedicat nos Deus pater, cuſtodiat nos Ieſus Chriſt⁹, illuminet nos Spiritusſanctus omnibus diebus vitæ noſtræ, confirmet nos virtus Chriſti, intercedentibus ſanctis ſuis indulgeat nobis Dominus vniuerſa delicta noſtra. Amen.

Initium S. Euangelij ſecundùm Iohannem.

IN principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Oĩa per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non compræhenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mũdus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis pote-

ſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

Finis precationum ad Miſſam.

Oratio ante Confeßionem dicenda.

PEr ſanctorum omniũ angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atq; virginũ merita, orationes, interceſſiones, paſſiones & ſuffragia, infunde cordi meo clementiſſime Deus per gratiam Spiritusſancti compunctionem, fontem lachrymarum, vt poſſim reatum conſcientiæ meæ perfectè cognoſcere, & delicta facinorum meorum plenariè confiteri & deuotè, commiſſa accuſare, & de commiſſis omnibus dignam pœnitentiam agere, & de his, tua præſtante miſericordia, perfectam habere veniam. Amen.

Quandò communicare vis corpori & ſanguini Dominico, dic:

AD menſam tui dulciſſimi cõuiuij Domine rex angelorum, ego indignus peccator acceſſurus, vereor & contremiſco, cor habens multis maculis adſperſum, corpus non cautè cuſtodiui, mentem & linguam inquinaui: & qui-

quidem cùm peccatricis conſcientiæ meæ librum reuoluo, veſtem innocentiæ, quam in Baptiſmo accepi, grauiter cōſciſſam inuenio, vulnerumque meorū cicatrices (quas ex conſenſu humanæ fragilitatis & inſipientiæ meæ aduerſarius mihi inflixit) magis corruptas quàm ſanatas agnoſco. Vndè miſer ego inter anguſtias appræhenſus, quid eligam, ignoro. Scio enim verba tuæ reuerendæ veritatis, quibus exhortatus es nos, dicens: Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Sed propter grauia & multiplicia delicta mea, exterrent me verba Apoſtoli tui, quibus comminatus eſt, dicens: Qui manducat carnem Domini, & bibit ſanguinē eius indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit. Verùm ô beata & pia Diuinitas, ô tremenda Maieſtas, ô ineffabilis & inſcrutabilis Sanctitas, quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Siquidē corda ſcrutaris, & conſcientiarum quæque ſecretiſſima nudè & apertè intueris. Ad te ergò fontē miſericordiæ lauandus recurro, ad te pium Samaritanum, infirmitatis humanę ſingularem medicum, ſanandus feſtino. Ad te confugio, & quem iudicem ſuſtinere nequeo, Saluatorem habere deſidero. Tibi plagas meas Domine oſtendo, tibi verecundiam meam detego. Video peccata mea magna & multa, & timeo. Video ſuauitatem & miſericordias tuas, quarum non eſt numerus, & ſperare audeo.

Iohan.6.

1.Cor.11.

Pſal.138.

Luc.10.

viuis & regnas Deus, &c.

Alia Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui es cum patre & Spirituſancto vnius eſſentię Deus, in quo eſt vera omnium peccatorum remiſſio, per quem ſalus & vita præſtatur æterna. Qui pu- Luc.18.
blicanum confitentem iuſtificâſti, Chananęā Matt.15.
humiliter inuocantem exaudîſti, Petrum te Matt.26.
negantem reſpexiſti, flentem quoquè miſericorditer ſuſcepiſti, & Latroni confitenti ve- Luc.23.
niam cum gloria Paradiſi donâſti: Da mihi peccatori veniam omnium ſcelerum meorū, vt huius ſacroſancti corporis & ſanguinis tui communicatio, ad quam feſtino, non ſit mihi ad iudicium condemnationis, ſed ad remedium proficiat ſalutis: Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ALIA.

DOmine Ieſu Chriſte, rogo te per ſacroſan- Ambroſ.
ctum myſterium corporis & ſanguinis in Orat.1.
tui, quo in Eccleſia tua paſcimur & pota- præpara.
mur, abluimur & ſanctificamur, atque vnius ſummę diuinitatis participes efficimur, vt des mihi virtutes tuas ſanctas, quibus repletus, bona conſcientia ad altare tuum accedam, ità vt hæc cæleſtia Sacramenta efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti oro tuo ſancto & benedicto: Panis quē ego dedero, caro mea Iohan.6.
eſt, pro mundi vita. Et qui manducat me, vitā viuet propter me. Ipſe manet in me, & ego in eo. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcen-

di: Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

Ambro. Ibid. Sap.16. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, vt ſentiam ſuauitatem amoris tui: Sana ab omni languore, vt nullã præter te amem pulchritudinem. Panis candidiſſime, habẽs in te om̃e delectamentũ, & om̃is ſaporis ſuauitatẽ, qui nos ſemper reficis, comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleãtur viſcera animæ meæ. Mãducet te angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, nè deficere poſſit in via tali recreatus viatico.

Ibid. Panis ſancte, panis viue, panis pulcher, panis mũde, qui deſcendiſti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs: intra in animam meam, ſana & ſanctifica me intùs & exteriùs. Eſto tutamẽ & perpetua ſalus corporis & animæ meæ. Repelle à me inſidiantes mihi hoſtes. Recedant procùl à præſentia tua, vt foris & intùs per te munitus, recto tramite perueniam ad tuum regnum, vbì non myſterijs, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad

1.Cor.15 faciem te videbimus, cùm tradideris regnum Deo patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te ſatiabis ſatietate mirifica, vt nec eſuriam, nec ſitiam in æternũ: Qui cum eodem Deo patre & Spiritu ſancto viuis & regnas, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Alia Oratio ante Communionem.

Omni-

OMnipotens & miſericors Deus, eccè accedo ad Sacramentũ corporis & ſanguinis vnigeniti filij tui, Domini noſtri IESV Chriſti. Accedo tanquàm infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, egenus ad Dominum cæli & terræ, nudus ad regem gloriæ: Rogo ergò tuam clementiam, quatenùs meam digneris curare infirmitatẽ, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem, vt ipſum panem angelorum, te regem regum & Dominum dominantium, tanta reuerentia & honore, tali timore & amore, tanta fide, puritate & deuotione, necnon tali propoſito & humilitate ſuſcipere merear, ſicut decet imperioſum & magnificum nomen tuum, & expedit ſaluti animæ meæ. Accende in me Domine charitatem tuam, vitia extingue, virtutes infunde, gratias adauge, ſalutem mentis & corporis mihi tribue: Inclina cælos tuos Domine, & deſcende, vt tibi coniunctus & vnitus, tecum pariter vnus efficiar ſpiritus, ô venerabile Sacramentum, per te (quæſo) omnes inimici mei repellantur, peccata dimittantur, & omnia mala per tuam præſentiam excludãtur. Bonum propoſitum tribue, mores corrige, & omnes actus meos in tua voluntate diſpone. Intellectus nouo lumine illuſtretur, affectus inflammetur, ſpes roboretur, & vita mea in melius emendetur, & tandem confe-

ratur.

ratur exitus bonus. Amen.

ALIA.

O Dulciſſime atque amantiſſime Domine IESV Chriſte, quem nunc deuotè deſidero ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meam & neceſſitatem quám patior, in quantis malis & vitijs iaceo, quàm ſæpè ſum grauatus, tentatus, turbatus & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro conſolatione & ſubleuamine te deprecor, ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfectè conſolari & adiuuare: Tu ſcis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus. Eccè ſto ante te gratiam poſtulans & miſericordiam. Refice eſurientem mendicum tuum. Accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia grauia & contraria in patientiā. Erige cor meum ad te in cælum, & nè dimittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc dulceſcas vſque in ſeculum, quia tu ſolus cibus es & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea: vtinàm me totaliter ex tua præſentia accendas & comburas, & in te tranſmutes, vt vnus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefactionem ardentis amoris. Nè patiaris me ieiunum & aridum à te recedere, ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpiùs cum ſan-

ctis

ctis tuis operatus es mirabiliter. Quid mirum ſi totus ex te igneſcerem, & in meipſo deficerem, cum tu ſis ignis ſemper ardens, & nunquam deficiens, amor corda purificans, & intellectum illuminans. Amen.

Cùm immediatè vis accedere.

DOmine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tu Dñe qui dixiſti, Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo: propitius eſto mihi peccatori per ſumptionem corporis & ſanguinis tui, & præſta, vt non in iudicium damnationis illud ſumam, ſed miſericordia tua tribuente, in ſalutem & remiſſionem peccatorum meorum: Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spirituſſancti Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Matt. 8. Iohan. 6. Luc. 18.

Poſt Communionem.

AGo tibi gratias Domine IESV Chriſte, quòd me indignum peccatorem participem dignatus ſis facere precioſi corporis & ſanguinis tui. Accende, illumina, & ſanctifica me vas tuum, de malitia euacua, imple de gratia, & plenum conſerua, vt viuam de te, vadam poſt te, perueniam ad te, & repauſem in te Domine Deus meus. Amen. Auguſt.

Alia oratio poſt ſacram Communionem.

AVe ſanctiſſima caro, ſumma vita, dulcedo: Aue cæleſtis potus, ante omnia mihi dulcis, veriſſime & pijſſime amator & reconcili-

ciliator humani generis Ieſu Ch[illegible] æterna ſalus omnium te diligentium, qu[illegible]ā patientiam permiſiſti me indig[illegible]o-rem polluto corde meo, & ore a[illegible] hoc ſanctum corpus & ſanguinē tuu[illegible] qui accipit indignè, non ad remediu[illegible] iu-dicium accipit. Quæſo, eſto mih[illegible] o[illegible]us indigniſſimo peccatori. Et qui es vera & æter-na vita, dignare per hæc Sacramenta quę ſum-pſi, omnem iniquitatem & impietatem prio-ris vitæ remittere, & ſequentis vitæ actionem in laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis tui transmutare, & cùm ad iudicandum tibi poſt hanc vitā præſentatus fuero, noli me (quæſo) clementiſſime Deus propter innumerabilia peccata mea damnare, ſed per hanc receptio-nem redemptionis noſtræ auerte iram tuam à nobis, quam ſępiſſimè meis negligentijs plu-rimis & peccatorum perpetratione (proh do-lor) me profiteor iritâſſe. O ſereniſſima & in-clyta mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, virgo perpetua, quæ eundem creatorem omnium creaturarum in tuo ſacratiſſimo vtero digna fuiſti portare, cuius idem veraciſſimum cor-pus & ſanguinem ego miſer peccator & indi-gnus ſumere pręſumpſi: te humiliter depre-cor, vt ad ipſum pro me digneris intercedere, quatenùs quicquid in eius ineffabili Sacra-mento ignoranter aut negligenter commiſi, tuis ſacratiſſimis precibus, vt mihi ſua pieta-te ineffabili atque miſericordia inenarrabili, digne-

dignetur indulgere. Amen.

ALIA.

INeffabilem miſericordiam tuam Domine Ieſu Chriſte humiliter exoro, vt hoc Sacramentum corporis & ſanguinis tui, quod ſuſcepi indignus, ſit purgatio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit impetratio veniæ, ſit ſtabilimentum gratiæ, ſit medicina vitæ, ſit memoria paſſionis tuæ, ſit contra debilitatē fomes, ſit viaticum meæ peregrinationis. Eūtem me conducat, errantem me reducat, reuertentem me ſuſcipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perſeuerantem me in gloriam introducat: ô altiſſime Deus, beatiſſima præſentia corporis & ſanguinis tui immutet palatum cordis mei, vt præter te nullā vnquàm ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitū amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat vnquàm delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem: Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

ALIA.

VEra perceptio corporis & ſanguinis tui omnipotens Deus, non veniat mihi ad iudicium, neque ad condemnationem, ſed ſit omnium peccatorum meorum optata remiſſio, animæ & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio: Qui viuis & regnas, &c.

ALIA.

GRatias tibi ago Dñe ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui me indignũ peccatorem per tuam gratiam, nullis meis meritis exigentibus, ſatiare dignatus es corpore & ſanguine dilecti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Te deprecor, vt hæc ſancta communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis, ſit vitiorum meorum euacuatio, concupiſcentiæ ac libidinis exterminatio, charitatis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio, contra inſidias inimicorũ, omnium tam viſibilium quàm inuiſibilium firma defenſio, motûs vitiorum meorum perfecta quietatio, in te vno ac ſolo firma adhæſio, atque mei finis fœlix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me indignũ peccatorem perducere digneris, vbi tuipſe es cum ipſis ſanctis tuis lux vera, ſatietas plena, atque perfecta iucunditas & lætitia & gaudium ſempiternum, Amen.

ALIA.

O Benigniſſime Dñe Ieſu Chriſte, reſpice ſuper me indignum famulũ tuum oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti Petrum in
Mat 26. atrio, Mariam Magdalenam in conuiuio, La-
Luc.7. tronem in crucis patibulo. Et concede mihi,
Luc.23. vt cum Petro peccata mea dignè defleam, & cum Maria Magdalena perfectè te diligam, &

cum

Latrone in æterno paradiſo æternaliter te videam. Amen.

PRO CONSEQVENDA REMISSIONE PECCATORVM, PRO PACE ET *vnitate* Eccleſiæ, *& liberatione ab hæreticis & Turcis, alijsq; hoſtibus tam viſibilibus quàm inuiſibilibus, & omnibus malis: dic ſequentes* Pœnitentiales *Pſalmos cum* Litania Eccleſiæ.

PSALMVS 6.

DOmine, nè in furore tuo arguas me: neque in ira tua corrtpias me.

Miſerere meî Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine vſquequò?

Cõuertere Dñe, & eripe animam meã: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletûs mei.

Exaudiuit Dominus deprecationẽ meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubeſcant valdè velociter.

Gloria patri & filio.

PSALMVS 31.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatum: neç eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina,

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, cõfitebor aduersùm me iniuſtitiã meã Dño: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te om̃is ſanctus: in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me.

Intellectũ tibi dabo, & inſtruã te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In-

In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperãtem autem in Domino miſericordia circundabit.

Lætamini in Domino & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria patri & filio.

PSALMVS 37.

DOmine, nè in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmâſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſę ſunt caput meum: & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimìs: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum cõturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei: aduersùm me appropinquauerunt & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè ſteterũt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tãquàm ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, nequandò ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum cõmouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniã ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici aũt mei viuũt, & cõfirmati ſunt ſup me: & multiplicati ſunt qui oderũt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebãt mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Nè derelinquas me Domine Deus meus: nè diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ. Gloria patri.

PSALMVS 50.

MIſerere meî Deus: ſecundùm magnã miſericordiam tuam.

Et ſecũdùm multitudinem miſerationum tua-

tuarum : dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniã iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci : vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cũ iudicaris.

Eccè enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Eccè enim veritatem dilexiſti : incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.

Aſſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me,& ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam : & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus:& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Nè proijcias me à facie tua:& ſpiritum ſanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui:& ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ:& exultabit lingua mea iuſtitiã tuã.

Domine,labia mea aperies:& os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificiũ dediſſem

 vtiquè:

vtiquè : holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus: cor contritum & humiliatum Deus nõ deſpicies.
Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : vt ædificentur muri Hieruſalem.
Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta : tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.
Gloria patri.

PSALMVS 101.

DOmine, exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuã à me : in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacunque die inuocauero te : velociter exaudi me.
Quia defecerunt ſicut fumus dies mei : & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.
Percuſſus ſum vt fœnũ, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.
A voce gemitûs mei : adhęſit os meum carni meæ.
Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui : & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Tota die exprobrabãt mihi inimici mei : & qui laudabant me, aduersùm me iurabant.
Quia cinerem tanquàm panem manducabam : & potum meum cum fletu miſcebam.
A facie irę indignationis tuę : quia eleuans alliſiſti me.
Dies

Dies mei ſicut vmbra declinauerũt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu aũt Dñe in ęternũ permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens Dñe miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram adſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem.

In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant Domino.

Reſpõdit ei in via virtutis ſuę: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Nè reuoces me in dimidio dierũ meorum: in generatione & generationem anni tui.

Initiò tu Domine terram fundâſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes

Quia perſecutus eſt inimicus animā meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericordiā tuam: quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animā meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Gloria patri & filio.

LITA-

LITANIA
ECCLESIÆ.

Eiuſmodi Litania nota fuit Eccleſiæ, etiã ante tẽpora Chryſoſt. & Ambroſij, cuius meminit Bernardus in ſerm. de 4. modis orãdi.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſõ. CHRISTE audi nos. Saluator mundi adiuua nos.

Sancta Maria ora pro nobis.
Sancte Michael ora.
Sancte Gabriel ora.
Sancte Raphael ora.
Omnes ſancti angeli & archangeli, orate pro.
Sancte Iohannes Baptiſta ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
SAncte Petre ora pro nobis.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Iohannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholmæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thaddæe ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Marce ora.
Sancte Luca ora.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ, orate.
Sancte Stephane ora.
Sancte Line ora.

Sancte

Sancte Clete ora.
Sancte Clemens ora.
Sancte Sixte ora.
Sancte Corneli ora.
Sancte Cypriane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancte Hippolyte ora.
Sancte Chryſogone ora.
Sancti Iohannes & Paule orate pro nob.
Sancti Coſma & Damiane orate.
Sancte Pantaleon ora.
Sancte Fabiane ora.
Sancte Sebaſtiane ora.
Sancte Felix ora.
Sancte Nabor ora.
Sancte Mauriti cum ſocijs tuis orate.
Sancte Gereon cum ſocijs tuis orate.
Sancti Mauri orate pro nobis.
Omnes ſancti martyres orate pro nobis.
Sancte Sylueſter ora pro nobis.
Sancte Leo ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambroſi ora.
Sancte Hieronyme ora.
Sancte Auguſtine ora.
Sancte Nicolae ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Seuerine ora.
Sancte Antoni ora pro nobis.
Omnes ſancti Confeſſores orate pro nobis.

Sancta

Sancta Felicitas ora pro nobis.
Sancta Perpetua ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Anaſtaſia ora.
Sancta Catharina ora.
Deprecatiões. Omnes ſanctę virgines & viduę, orate ꝑ no.
Omnes ſancti orate pro no.
Propitius eſto parce nobis Domine.
Propitius eſto libera nos Domine.
Ab ira tua libera nos Domine.
A peccatis noſtris libera nos Domine
Ab inſidijs diaboli libera.
Petimus mori morte iuſtorũ, qualem precem habes in Litanijs Chryſoſtomi.
A ſubitanea & improuiſa mala morte, libera nos Domine.
A morte perpetua libera.
A peſte & clade libera.
Ab omni malo libera.
Per incarnationem & natiuitatem tuam lib.
Per crucem & paſſionem tuam. libera.
Per mortem & ſepulturã tuã libera nos Dñe.
Per ſanctam reſurrectionem & admirabilem aſſcenſionem tuam libera.
Obſecrationes. Per aduentum Spiritusſancti paracleti libera.
In die iudicij libera.
Orationes ſeu petitiones. Peccatores Te rogamus audi nos.
Vt pacem nobis dones Te rogamus.
Vt ſanitatem nobis dones Te roga.
Vt dextera tua ſancta nos ſemper cuſtodiat, Te

Te rogamus audi nos.

Vt dominum Apoſtolicum, & cunctum Eccleſiaſticum ordinem, in ſancta religione conſeruare digneris Te rogamus. Poſtulationes.

Vt Antiſtitem noſtrum in ſancta religione conſeruare digneris Te roga.

Vt Regem noſtrum & exercitum Chriſtianum in perpetua pace & proſperitate conſeruare digneris Te roga.

Vt cunctum populum Chriſtianum, precioſo ſanguine tuo redemptum, conſeruare digneris Te rogamus.

Vt hæreſes & ſchiſmata extirpare digneris Te rogamus audi nos.

Vt nos in tuo ſancto ſeruitio conſeruare & confortare digneris Te rogamus.

Vt ſeruitus noſtra tibi complaceat Te rog.

Vt nos exaudire digneris Te roga.

Fili Dei, Te roga.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter. &c. Verſ. Et nè nos. Reſp. Sed lib.

Domine, peccauimus cum patribus noſtris: Pſal. 105.
Iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias no-

nobis: Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

Pſal.78. Domine, nè memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Eodem. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Et propter gloriam nominis tui libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomẽ tuum.

Pſal.27. Domine, nè ſimul tradas nos cum peccatoribus: Et cum operantibus iniquitatem nè perdas nos.

Pſal.73. Nè tradas Domine beſtijs animas confitentium tibi: Et animas pauperum nè obliuiſcaris in finem.

Pſal.32. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: Quemadmodùm ſperauimus in te.

Pro fidelibus defunctis.

Requiem æternam dona eis Domine: Et lux perpetua luceat eis.

Requieſcant in pace, Amen.

Pſal.60. Eſto nobis Domine turris fortitudinis, à facie inimici.

Domine exaudi &c. Et clamor &c.

ORATIO

INeffabilem miſericordiam tuã nobis, Domine, clementer oſtende, vt ſimul nos & à peccatis exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias: Per Chriſtum &c.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus

tibus & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate: Per Dominum &c.

TVere Domine populum tuum, & ab omibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas: Per Dominum &c.

ORATIONES DEVOTISSIMAE S. GREGORII DE PASſione Domini.

O Domine IESV CHRISTE adoro te in cruce pendentem, & coronam ſpineam in capite portantem: deprecor te vt tua crux liberet me ab angelo percutiente. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum: deprecor te, vt vulnera tua ſint remedium animę meæ. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte rogo te per illam amaritudinem paſſionis tuæ, quam in hora mortis ſuſtinuiſti, maximè tunc quandò anima tua ſanctiſſima de benedicto tuo corpore eſt egreſſa: miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo de corpore meo, & perduc eam in vitam æternam. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in ſepulcro poſitum, myrrha & aromatibus conditum: deprecor te, vt mors tua ſit vita mea. Pater noſter. Aue Maria.

O Domine IESV Chriſte adoro te deſcendentem ad inferos, & tuos indè liberantem captiuos: deprecor te, vt illuc nunquàm me patiaris introire. Amen. Pater noſt. Aue Mar.

O Domine IESV Chriſte adoro te à morte reſurgentem, & in cælum aſſcendētem, ſedentemq́ue ad dexteram patris: deprecor te, vt illuc te ſequi, & ibì præſentari merear. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

O Domine IESV Chriſtę paſtor bone, iuſtos conſerua, peccatores iuſtifica, omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi miſero & indigno peccatori. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

ORATIO.

OBſecro te Domine IESV Chriſte, vt paſſio tua ſit virtus mea, qua muniar, protegar & defendar. Vulnera tua ſint mihi cibus & potus quibus inebrier & delecter. Aſſperſio ſanguinis tui ſit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua ſit mihi gloria ſempiterna. In his ſit mihi refectio, exultatio, ſanitas, ſtudium, gaudium, deſiderium corporis & animæ, nunc & in perpetuum. Amen.

IVBILVS SANCTI BERNARDI.

IESV dulcis memoria, dans cordi vera gaudia:
Sed ſuper mel & omnia, eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuauius, nil auditur iucundius,

Nil

Nil cogitatur dulcius, quàm Ieſus Dei filius.
Ieſu ſpes pœnitẽtibus, quàm pius es petẽtibus?
Quàm bonus te q̃rẽtibus? ſed q̄d inueniẽtibus?
Ieſu dulcedo cordiũ, fons viuus, lumẽ mẽtiũ,
Excedens omne gaudium, & omne deſideriũ:
Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere:
Expertus poteſt credere, q̄d ſit Ieſum diligere.
Ieſum q̃ro in lectulo, clauſo cordis cubiculo,
Priuatìm & in publico, quærã amore ſedulo.
Cũ Maria diluculo Ieſum quærã in tumulo,
Clamore cordis querulo, mẽte quæram non oculo.
Tumbam profundam fletibus, locum replens gemitibus,
IESV prouoluar pedibus, ſtrictis hęrens amplexibus.
Ieſu, rex admirabilis, & triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis, totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Dñe, & nos illuſtra lumine,
Pulſa mẽtis caligine, mundũ replẽs dulcedine.
Quãdò cor noſtrũ viſitas, tunc lucet ei veritas,
Mũdi vileſcit vanitas, & intùs feruet charitas.
Amor Ieſu dulciſſimus, & verè ſuauiſſimus:
Plùs millies gratiſſimus q̃ dicere ſufficimus.
Hoc probat eius paſſio, hoc ſanguinis effuſio,
Per quã nobis redemptio datur, & Dei viſio.
Ieſum om̃es cognoſcite, amorẽ eius poſcite:
Ieſum ardenter quærite, quærẽdo inardeſcite:
Sic amantem diligite, amoris vicem reddite.
In hunc odorem currite, & vota votis reddite.
Ieſus author clementiæ, totius ſpes lætitiæ,

Dulcoris fons & gratiæ, verax cordis deliciæ.
Ieſu mi bone, ſentiam amoris tui copiam.
Da mihi per præſentiam, tuã videre gloriam.
Cùm dignè loqui nequeã, de te tñ non ſileam.
Amor facit vt audeã, cùm ſolùm de te gaudeã.
Tua Ieſu dilectio, grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio, dans famem deſiderio.
Qui te guſtãt eſuriũt, qui bibunt adhuc ſitiũt.
Deſiderare neſciũt, niſi Ieſum quem diligunt.
Quẽ tuus amor ebriat, nouit quid Ieſus ſapiat.
Quàm felix eſt quẽ ſatiat? non eſt vltrà quod cupiat.
Ieſu decus Angelicum, in aure dulce canticũ,
In ore mel mirificum, in corde nectar cælicũ:
Deſidero te milliès, mi Ieſu quandò venies?
Me lætum qñ facies? me de te quandò ſaties?
Amor tuus continuus, mihi lãguor aſſiduus.
Mihi Ieſus mellifluus, fructus vitæ perpetuus.
Ieſu, ſumma benignitas, mira cordis iucunditas,
Incompræhenſa bonitas, tua me ſtringat charitas.
Bonũ mihi diligere Ieſum, nil vltrà quærere.
Mihi prorsùs deficere, vt illi queam viuere.
O Ieſu mi dulciſſime, ſpes ſuſpirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ, te clamor mentis intimæ.
Quocunq; loco fuero, mecũ Ieſum deſidero.
Quàm lætus cùm inuenero? quàm felix cùm tenuero?
Tunc amplexus, tunc oſcula, quæ vincũt mellis pocula.

Tunc

Tunc felix Chriſti copula, ſed in his parua
morula.
Iã quod quęſiui video, quod concupiui teneo.
Amore Ieſu langueo, & corde totus ardeo.
Ieſus cũ ſic diligitur, hic amor nõ extĩguitur,
Non tepeſcit nec moritur, plùs creſcit & accenditur.
Hic amor ardet iugiter, dulceſcit mirabiliter,
Sapit delectabiliter, & delectat feliciter.
Hic amor miſſus cælitùs, hæret mihi medullitùs,
Mentem incendit penitùs, hoc delectatur ſpũs.
O beatum incendium, & ardens deſiderium:
O dulce refrigerium, amare Dei filium.
Ieſu, flos matris virginis, amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus, honor numinis, regnum beatitudinis.
Veni veni rex optime, pater immenſæ gloriæ,
Effulge clare clariùs, iam expectatus ſæpiùs:
Ieſu ſole ſerenior, & balſamo ſuauior,
Omni dulcore dulcior, prę cunctis amabilior.
Cuius guſtus ſic afficit, cuius odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit, ſolus amãti ſufficit.
Tu mentis delectatio, amoris conſummatio:
Tu mea gloriatio, Ieſu mundi ſaluatio.
Mi dilecte reuertere, cõſors paternæ dexteræ:
Hoſtẽ viciſti proſperè, iam cæli regno fruere.
Sequar quocunq; ieris: mihi tolli nõ poteris,
Cùm meum cor abſtuleris: Ieſu laus noſtri generis.

Cæli ciues occurrite, portas veſtras attollite,
Triumphatori dicite: Aue Ieſu rex inclyte,
Rex virtutum, rex glorię, rex inſignis victorię.
Ieſu, largitor veniæ, honor cæleſtis curiæ:
Tu fons miſericordiæ, tu verè lumen patriæ,
Pellem nubem triſtitiæ, dãs nobis lucẽ glorię.
Te cęli chorꝰ prędicat, & tuas laudes replicat:
Ieſus orbem lætificat, & nos Deo pacificat.
Ieſus in pace imperat, quę oẽm ſenſum ſupat.
Hãc mea mens deſiderat: & ea frui properat.
Ieſus ad patrem redijt, cæleſte regnum ſubijt.
Cor meũ à me tranſijt, poſt Ieſum ſimul abijt.
Quem proſequamur laudibus, votis, hymnis, & precibus: Vt nos donet cęleſtibus cum ipſo frui ſedibus. Amen.

PRECATIONES DEVOTISSIMAE S. BRIGIDAE DE PASſione Domini.

ORATIO PRIMA.

O IESV Chriſte, æterna dulcedo te amãtium, iubilus excedens omne gaudiũ & oẽe deſideriũ, ſalus & amator peccatorũ, qui delicias tuas teſtatus es eſſe cum filijs hominũ, ꝓpter hominẽ homo factus in fine temporũ: memento omnis præmeditationis & intimi mœroris quẽ in humano corpore ſuſtinuiſti, inſtante ſaluberrimæ paſſionis tuæ tempore, in diuino corde præordinato. Memento triſtitiæ & amaritudinis quam in anima (teipſo teſtante) habuiſti, qñ in vltima cœna diſci-

ſcipulis tuis corpus & ſanguinem tuum tradidiſti, pedes eorum lauiſti, & dulciter eos conſolando imminentem paſſionem prædixiſti. Memento omnis timoris, anguſtiæ & doloris quem in tuo corpore delicato ante paſſionem crucis tuæ pertuliſti, quandò poſt trinam orationem & ſanguineum ſudorem à Iuda diſcipulo tuo tradebaris: ab electa gente capiebaris: à falſis teſtibus accuſabaris: à tribus iudicibus iniuſtè iudicabaris: in electa ciuitate, in paſchali tempore, in florida corporis iuuentute innocenter damnabaris: veſte propria exuebaris, & veſtibus alienis induebaris: colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, ſpinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibus alijs calumnijs lacerabaris. Da mihi, quæſo, ob memoriam harũ ante crucem tuam paſſionum, veram ante mortem meam contritionem, puram confeſſionem, dignam ſatisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remiſſionem, Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio ij.

O IESV mundi fabricator, quẽ nulla dimẽſio vero in termino metitur, qui terrã palmo cõcludis: recordare amariſſimi doloris tui quẽ ſuſtinebas, cùm Iudæi ſanctiſſimas manus tuas ad crucem obtuſis clauis primò affixerũt: & ad perforandũ delicatiſſimos pedes tuos (cũ non eſſes conueniens volũtati eo-

rum)dolorem ſuper dolorem vulneribus tuis addiderunt: & ſic crudeliter te diſtraxerunt & extenderunt in longū & latum crucis tuæ, vt diſſoluerētur compages membrorū tuorum. Deprecor te per huiuſmodi ſacratiſſimi amariſſimiq; in cruce doloris memoriam, vt des mihi timorem & amorem tuum. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio iij.

O Ieſu cæleſtis medice recordare languoris, liuoris & doloris quos, in alto crucis patibulo leuatus, paſſus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullū in ſuo ſtatu rectè permanſerat: ità vt nullus dolor ſimilis tuo dolori inueniretur: quia à planta pedis vſque ad verticem capitis non fuit in te ſanitas. Et tamen omniū dolorum immemor patrem pro inimicis piè exorâſti, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Per hanc miſericordiā, & ob memoriam illius doloris, concede vt hæc memoria paſſionis tuæ amariſſimæ, ſit omniū peccatorum meorum plena remiſſio. Amen. Pater noſt. Aue Maria.

Oratio iiij.

O Ieſu vera libertas Angelorū, paradiſus deliciarum, memento mœroris & horroris quos ſuſtinebas, cùm om̄es inimici tui quaſi leones ferociſſimi te circunſteterant: & colaphizationibus, conſputionibus, vngulationibus, cæteriſque pœnis inauditis te moleſtauerant. Per has pœnas & per omnia contumelio-

lioſa verba duriſſimaque tormenta, quibus te Dñe Ieſu Chriſte omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, vt liberes me ab omnibus inimicis meis viſibilibus & inuiſibilibus: & dones me ſub vmbra alarum tuarum ad perfectionem ſalutis æternæ peruenire. Amen. Pater noſter. Aue Maria,

Oratio v.

O Ieſu ſpeculũ claritatis æternæ, memento illius mœroris quem habuiſti quandò in ſpeculo ſereniſſimæ maieſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum per merita tuæ paſſionis ſaluandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum: Et per abyſſum miſerationis tuæ qua nobis perditis peccatoribus & deſperatis tunc condoluiſti: & quam latroni in cruce exhibuiſti, dicens: Hodiè mecum eris in paradiſo. Rogo te pie Ieſu, facias mecũ miſericordiam in hora mortis meæ. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio vj.

O Ieſu rex amabilis & amice totus deſiderabilis, memento illius mœroris quem habuiſti, quandò nudus & miſerabilis in cruce pependiſti, & omnes amici & noti tui aduersùm te ſteterunt: & nullum conſolantem inueniebas, ſed ſolùm dilectam genitricem tuam in amaritudine animæ ſuæ tibi fideliſſimè adſtantem: quam diſcipulo tuo commendâſti, dicens: Mulier, eccè filius tuus. Rogo te pie Ieſu per gladium doloris qui tunc

eius animam pertranſiuit, vt compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & ſpiritualibus: & da mihi cōſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio vij.

O IESV fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in cruce dixiſti: Sitio, ſcilicet ſalutem generis humani: accende quęſumus cordium noſtrorum deſideria ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ & æſtum mundanæ delectationis in nobis penitùs refrigera & extingue. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio viij.

O IESV dulcedo cordium, ingēsque ſuauitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis quam pro nobis deguſtâſti, in hora mortis noſtrę concede nobis corpus & ſanguinem tuum dignè percipere, ad remedium & cōſolationem animarum noſtrarum. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio ix.

O IESV regalis virtus iubilusque mentalis, memēto anguſtiæ & doloris quem paſſus es, quandò præ mortis amaritudine, & Iudæorum inſultatione, cum magna voce te à Deo patre derelictum clamâſti, dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Per hanc anguſtiam peto te, vt in anguſtijs no-

noſtris non derelinquas nos Domine Deus noſter. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio x.

O IESV alpha & ω, vita & virtus in omni tempore: recordare quòd à ſummo capitis vſq; ad plantam pedis te pro nobis in aqua paſſionis tuę demerſiſti. Propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum, doce me per veram charitatem cuſtodire latum mandatum tuum nimìs, in peccatis demerſum. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio xj.

O IESV abyſſus profundiſſima miſericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum quæ tranſiêrunt medullã oſſium ac viſcerum tuorũ, vt me ſubmerſum in peccatis emergas, abſcondaſque me in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donèc pertrãſeat furor tuus Domine. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio xij.

O IESV veritatis ſpeculum, ſignum vnitatis, charitatis vinculum, memẽto multitudinis innumerabiliũ vulnerum tuorum, quibus à ſummo capitis vſque ad imum pedis vulneratus fuiſti, & ſanctiſſimo ſanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertuliſti pro nobis pie IESV. Quid vltrà debuiſti facere, quod non feciſti? Scribe, quęſo pie Ieſu, omnia vulnera tua in corde meo precioſiſſimo ſanguine tuo,

vt in illis legam dolorem tuum & mortem, & in gratiarum actione vſq; in finem iugiter perſeuerem. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio xiij.

O IESV leo fortiſſime, rex immortalis & inuictiſſime, memẽto doloris quem paſſus es, cùm omnes vires cordis & corporis tui tibi penitùs defecerunt: & inclinato capite (Conſummatum eſt) dixiſti. Per hãc anguſtiã & dolorem miſerere meî in vltima conſummatiõe exitûs mei, cùm anima mea anxiata fuerit, & ſpiritus meus conturbatus. Amẽ. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio xiiij.

O IESV vnigenite altiſſimi patris, ſplendor & figura ſubſtantiæ eius, memento obnixæ commendationis qua patri ſpiritum tuum commendâſti, dicens: In manus tuas commendo ſpiritũ meum: Et lacerato corpore, rupto corde, cum valido clamore, patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expirâſti. Per hanc precioſiſſimam mortẽ precor te rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni & ſanguini, vt mundo mortuus, tibi viuã: & in nouiſſima hora exitûs mei ſuſcipe ad te reuertentem ſpiritum meum, exulem & peregrinũ. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Oratio xv.

O IESV vitis vera & fœcunda, memento ſupereffluẽtis & abundantis effuſionis ſan-

ſanguinis tui, quem tu ſicut de botro expreſſum copioſiſſimè effudiſti, quandò in cruce torcular ſolus calcâſti, & lancea militari perfoſſo latere nobis ſanguinem & aquam propinâſti: ità vt nec minima gutta in te remaneret, & demùm quaſi myrrhæ faſciculus in altum ſuſpenſus fuiſti, & delicata caro tua euanuit, & liquor viſcerum tuorum exaruit, & medulla oſſium tuorum emarcuit. Per hanc amariſſimam paſſionem & precioſi ſanguinis effuſionem pie Ieſu precor te ſuſcipe animam meam in agone mortis meæ. Amen. Pater noſter. Aue Maria.

Peroratio.

O Dulcis IESV vulnera cor meũ, vt pœnitentiæ & amoris lachrymę ſint mihi panes die ac nocte: Et conuerte me totaliter ad te: vt cor meum tibi perpetuò fiat habitabile, & conuerſatio tibi placita ſit & accepta; ac finis vitę meę ita laudabilis, vt poſt huius vitę terminum te merear laudare cum omnibus Sanctis tuis in ęternum. Amen.

ORATIONES COMMVNES.

Inuocatio Sanctæ Trinitatis, cùm aliquid vis incipere.

NOmen Dei patris & filij & Spiritusſancti ſit benedictum in me. Fiat mihi, Domine

mine quęſo fides firma in corde, galea ſalutis in capite, ſignum ſanctę crucis in fronte, verbũ veritatis in ore, voluntas bona in mente, dilectio Dei in pectore, pręcinctio caſtitatis in circuitu, honeſtas in actione, ſobrietas in conſcientia, humilitas in proſperitate, ſpes in creatore, amor vitę ęternę, & perſeuerantia in bonis operibus vſque in finem. Amen.

Super quolibet opere bono finito.

BEnedictum ſit dulce nomen Domini noſtri IESV Chriſti, ac dulciſſimę virginis Marię matris eius: ac tota cęleſtis curia ſit benedicta in ęternum & vltrà. Diuinum auxilium ſit ſemper nobiſcum. Amen.

Pro peccatis Antiphona.

MEdia vita in morte ſumus: quem quęrimus adiutorem, niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris iuſtè iraſceris? Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & miſericors Saluator, amarę morti nè tradas nos. Peccauimus cum
Pſal. 105. patribus noſtris: Iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

OREMVS.

DEus, qui ſperantibus in te miſereri potius eligis, quàm iraſci, da nobis, quęſumus, dignè deflere mala quę fecimus, vt conſolationis tuæ gratiam inuenire, & ad gloriam æternę beatitudinis peruenire valeamus: Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Pro peccatis Reſponſ.

PEccaui ſuper numerũ arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata mea, & non ſum dignus videre altitudinem cæli prę multitudine iniquitatis meæ: quoniã iritaui iram tuam Domine, & malum coram te feci. Verſ. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Errraui ſicut ouis quæ petijt: require ſeruũ tuum, quia mandata tua non ſum oblitus. 2.Par.36. in fine. Pſal.50. Pſal.118.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſericordiam tuam concede ſupplicibus tuis, vt qui de pręteritorum meritorum noſtrorum qualitate diffidimus, non iudicium tuum, ſed indulgentiam ſentiamus.

Omnipotens & mitiſſime Deus, qui ſitienti populo fontem viuentis aquæ de petra produxiſti, educ de cordis noſtri duritia compunctionis lachrymas, vt peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionemque, te miſerante, mereamur accipere peccatorum. Per Dñm. Exod.17. Num.20.

Pro pace, dic trina vice Antiphonam.

DA pacem Domine in diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. Da nobis pacem temporis, pacem æternitatis. Verſ. Fiat pax in virtute tua. Reſp. Et abundantia in turribus tuis. 4.Reg.20. Eſa.39. Pſal.121.

OREMVS.

DEus author pacis & amator, quem nôſſe, viuere: cui ſeruire, regnare eſt: protege

ab

ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos, vt qui in defenſione tua confidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus.

Deus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Pſal. 17. Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus ęterna: Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium tuum, qui tecum viuit & regnat &c.

Pro cogitatione munda.

Ecci. 23. DOmine pater & Deus vitę meæ, nè derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum nè dederis mihi, & deſiderium malignum auerte à me. Domine, aufer à me concupiſcentiam, & animę irreuerenti & infrunitę, nè tradas me.
Pſal. 118. Fiat cor
Pſal. 20. meum immaculatum, & in iuſtitia tua libera me.
Pſal. 101. Domine, exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat. OREMVS.

OMnipotens & mitiſſime Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera corda noſtra de malarum tentatione cogitationum, vt ſancti Spiritus dignum habitaculum fieri mereamur.

De-

Deus à quo bona cūcta procedunt, largire ſupplicibus tuis, vt cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt, &, te gubernante, eadem faciamus: Per Dominum. &c.

Pro locutione accepta.

VErbum iniquum & doloſum longè fac à Pro.39.
me Domine, da ſermonem rectum & be- Eſth.14.
nè ſonantem in os meum: & nè claudas ora
canentium te. Diuitias & paupertates nè dede- Pro.30.
ris mihi, ſed tantùm victui tribue neceſſaria:
nè fortè ſatiatus euomam illud, & periurem
nomen Dei mei. Dixi, cuſtodiam vias meas, Pſal.38.
vt non delinquam in lingua mea.

OREMVS.

LInguam fidelium tuorum & vota, quæſumus, omnipotens Deus, in laudem tuæ Maieſtatis ſemper extende: & ad vſum temporalium, demptis ſuperfluis, clementer reſtringe. Per Dominum &c.

Pro operatione iuſta.

NE derelinquas me Dn̄e pater & domina- Pſal.26.
tor vitæ meæ, vt non corruā in cōſpectu
aduerſariorum meorum. Nè gaudeat de me Pſal.40.
inimicus meus. Appræhende arma & ſcutum, Pſal.34.
& exurge in adiutoriū mihi. Laudans inuoca-
bo Dominū, Et ab inimicis meis ſaluus ero. Pſal.17.

OREMVS.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, adſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra operatio, ſenſus &

oratio, ſemper à te incipiat, & per te cœpta finiatur: Per Dominum noſtrum &c.

Pro charitate.

VBì charitas & dilectio, ibì ſanctorum eſt congregatio: ibì nec ira eſt, nec indignatio, ſed firma charitas in perpetuum: diligamus ergò nos inuicèm, quia charitas ex Deo
1.Ioh. 3. eſt, & qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus
& 4. eſt, & manet in eo: & vbì fratres in vnum glorificant Deum, ibì dabit Deus benedictionem.
Iohã.13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, ſicut dilexi vos, dicit Dominus.

OREMVS.

DEus pacis charitatiſq́ue amator & cuſtos, da omnibus inimicis noſtris pacem, charitatemq́ue veram: cunctorum quoquè remiſſionem eis tribue peccatorum, & nos ab eorum inſidijs potenter eripe: Per Dñm &c.

Pro humilitate.

Iac.4. DEus, qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præ-
1. Pet.5. ſtas humilibus, auge in nobis veræ humi-
Matt.11. litatis virtutem, cuius in ſe formam fidelibus
Iohã.13. vnigenitus tuus exhibuit, vt nunquàm indignationem tuam prouocemus elati, ſed propitiationis tuæ capiamus dona ſubiecti. Au-
Eccl.23. fer quoquè à nobis concupiſcentiam carnis & oculorum, atque ambitionem ſeculi: vt coram te ſobriè, iuſtè, caſteq́ue viuentes, pręmia æterna conſequamur: Per eundem Dñm. &c.

Pro caſtitate.

Vis

VRe igne ſancti ſpiritûs renes noſtros & cor noſtrum Domine, vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus: Per Chriſtum Dominum &c.

Contra tempeſtates aeris & tonitrua.

REx æterni imperij, omnipotens Deus, qui das eſcam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluuiam: qui transfers Auſtrũ de cælo, & inducis in virtute tua Africum: qui rigas montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum ſuorum ſatiabitur terra: qui angelo præcepiſti, vt terrę, mari, arboribus non noceret: parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus. Te enim Domine ſupplices exoramus, vt procùl abſcedat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum, fragor grandinum, percuſſus fulminum, & quælibet inſidiæ inimici temperentur: infeſta tonitrua, noxiæque pluuiæ, vẽtorum flamina fiant moderatè ſuſpenſa: omnis quoq; ſpiritus procellarum, & aëreæ tempeſtates, dextra tuæ virtutis proſternantur. Deſcendat, quæſumus Dñe, deſupèr Spirituſſanctus, vt fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus, fruges manus ſeruet angelica, & poſt ſopitos nubium impetus, in laudis & deuotionis ſpiritualis augmentum, tranſeat comminatio tempeſtatis: Qui viuis & regnas Deus. &c.

Pſal.135. & 146. Pſal.77. Pſal.103. Apoc.7.

Ad poſtulandam pluuiam.

TErram tuam Domine, quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cæleſti-

bus aquis perfunde, atque irriga beneficijs gratiæ ſempiternæ.

Acto.17. Deus, à quo viuimus, mouemur & ſumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiterna fiducialiùs appetamus: Per Dñm.&c.

Ad poſtulandam ſerenitatem.

AD te Dñe clamantes dignanter exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicātibus, vt qui pro peccatis noſtris iuſtè affligimur, miſericordia tua præueniēte, miſericordiam ſentiamus: Per Dominum &c.

Pro iter agentibus.

DEus, qui ad vitam ducis, & confidentes in te paterna protectione cuſtodis, quæſumus Domine, vt præſentibus famulis tuis à nobis egredientibus, angelicum tribuas comitatum, vt tuo auxilio protecti, nulla mala concutiantur formidine, nullo comprimantur aduerſitatis rigore, nullis irruentis inimici moleſtentur inſidijs, ſed ſpatio neceſſarij itineris proſpero greſſu peracto, proprijs locis feliciter reſtituti, vniuerſos reperiant ſoſpites, ac debitas exoluant tuo nomini grates: Per Dominum &c.

Deus, qui es ſanctorum tuorum ductor, dirige angelū pacis cum famulis tuis, qui nos ad loca deſtinata ducat & reducat incolumes: ſit nobis comitatus iucundus, & nullus nobis viam ſurripiat inimicus: procùl ſit à nobis

nobis malignorum ſpirituum acceſſus, & comes noſtrî eſſe dignetur Spiritusſanctus.

Adeſto Dñe ſupplicationibus noſtris, & viã famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: vt inter omnes viç & vitç huius varietates, tuo ſemper protegamur auxilio: Per Dominum &c.

Pro redeuntibus de itinere.

OMnipotens ſempiterne Deus, noſtrorum temporum vitęq; diſpoſitor, nobis famulis tuis continuæ tranquillitatis largire ſubſidium, vt quos incolumes proprijs laboribus reddidiſti, tua facias protectione ſecuros: Per Dominum &c.

ALIA.

GRatias agimus tibi benigniſſime IESV Chriſtę, qui nos infinita tua bonitate per viam à periculis & hoſtibus clementer cuſtodieris, defenderis, ſaluosq́ ie domum & in locum tutum perduxeris. Tibi ſit laus, honor & gloria, pro immenſa tua in nos bonitate, in ſempiterna ſecula. Amen.

Pro nauigantibus.

DEus, qui tranſtuliſti patres per mare Rubrum, & tranſuexiſti per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes: ſupplices deprecamur, vt in hac naui famulos tuos repulſis aduerſitatibus, portu ſemper optabili, curſuq́ue tranquillo tuearis: Per Dominum &c. Exod.14. Exod.15.

ALIA.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & mitte ſanctum angelum tuum de ſummitate cælorum tuorum, qui liberet nauem iſtam, & omnes nauigantes in ea: perduc eam ad loca deſtinata, vt tranſactis omnibus negocijs, iterato eam tempore ad propria reuocare digneris: Per Dominum. &c.

Tempore peſtis & famis.

Ionæ 3. DEus, qui imminentem Niniuitis interitum ſola miſericordia remouiſti, quibus vt miſericors exiſteres, conuerſionis pœnitentiam præſtitiſti: reſpice propitius populum tuum ante conſpectum miſericordiæ tuę proſtratum, & peſtilentiam famemque propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoſcant, te indignante talia flagella procedere, & te miſerante ceſſare: Per Dominum &c.

Populum tuum, quæſumus Domine, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, vt qui tuæ iuſtitiæ flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari: Per Christum Dominum noſtrum.

Exaudi Domine preces noſtras, & nè velis cum ſeruis tuis adire iudicium, quia ſicut in nobis nulla iuſtitia reperitur, de qua præſumere valeamus: ità fontem tuæ pietatis agnoſcimus, per quem & à peccatis noſtris nos abſolui, & à neceſſitatibus liberari confidimus: Per Dominum &c.

Deus, cuius miſericordia cæleſtium quoq;

vir-

irtutum indigent poteſtates, & in cuius con-
ſpectu nullus eſt hominũ abſque ſorde & pœ- Iob 4.
na peccati: delicta populi tui, quęſumus, pro- 15. & 26.
pitiatus auerte, vt quos propriæ conſcientiæ
reatus accuſat, bonitatis tuæ patientia faciat
veniam promereri: Per Chriſtum &c.

Exaudi, quæſumus Domine, populum tuum de tua miſericordia malorum ſuorum veniam ſupplicantem: & quia potens es dimittere peccata, ſupplicia quæ noſtris meremur operibus, potẽtia tuæ pietatis auerte: Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Iram tuam, quęſumus Domine, à populo tuo miſeratus auerte, quam noſtris quidem meremur operibus, ſed humana fragilitate ſuſtinere non poſſumus. Illa nos itaque contine pietate, quam præſtare ſoles indignis: Per Dominum noſtrum. &c.

Tempore belli, gratiarum actio pro beneficijs impetratis.

DEus, cuius miſericordię non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, tuæ piiſſimæ Maieſtati pro collatis nobis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, vt qui te inuocantibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens, ad præmia futura diſponas: Per Chriſtum Dñm &c.

Orationum noſtrarum petitionẽ cum gratiarum actionibus ſuſcipe Dñe, quæſumus, & præſta, vt quos exaudire dignatus es ab

omni in poſterum animæ & corporis aduerſitate cuſtodias, vt ſemper in tuo ſeruitio & amore concreſcant: Per Dominum &c.

Deus, qui neminem in te ſperantem nimiùm affligi permittis, ſed pium precibus præſtas auditum: petitionibus noſtris votisque ſuſceptis optatis, gratias agimus, te pijſſime deprecantes, vt per hæc tua beneficia, quæ nobis conferre dignatus es, tuum ſemper magnificare nomen concedas: Per Dñm. &c.

Pro ſummo Pontifice, & cunctis gradibus Eccleſiaſticis.

OMnipotens ſempiterne Deus, reſpicere dignare ſuper Apoſtolicã dignitatem, atq; ſuper vniuerſos gradus Eccleſiaſticos, vt ſicut vniuerſa à te creata ſunt, ſic vniuerſi à te in ſuo ordine dirigantur. Per Dominum. &c.

Pro vnione Eccleſiæ ad Deum patrem.

SEruator Deus, vtinàm fiat, vt in eam diem tibi viuamus, ac diem triumphalem & celebrem hymnum tibi cantemus, atq; à te vno eodemq; patre cuſtoditi, idem tibi melos canamus, ac vna eademq; harmouia coniuncti, ſub te ſolo capite viuamus, ſpiremus, moueamur, ac illud idem vnicuique velle & nolle ſentiendo ac proferendo, vnum ſimus.

Pro Imperatore noſtro.

DEus, regnorũ omniũ & Chriſtiani maximè protector Imperij, da ſeruo tuo RVDOLPHO Imperatori noſtro triumphum

virtutis tuæ ſcienter excolere, vt qui tua conſtitutione eſt princeps, tuo munere ſit potens: Per Dominum noſtrum &c.

Deus, in cuius manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & famulo tuo Imperatori noſtro regimen tuæ appone ſapientiæ, vt hauſtis de tuo fonte conſilijs, & tibi placeat, & ſuper omnia præcellat: Per Dominum &c.

Pro Rege vel principe.

DEus, qui populis tuis virtute conſulis & amore dominaris, da huic famulo tuo N. ſpiritum ſapientiæ cum regimine diſciplinæ, vt tibi toto corde deuotus, in regni regimine maneat ſemper idoneus, tuoque munere ipſius temporibus ſecuritas Eccleſiæ dirigatur, & in tranquillitate deuotio Chriſtiana permaneat, vt in bonis operibus perſeuerans, ad æternum regnum, te duce, valeat peruenire. Per Dominum &c.

Pro Epiſcopis & Prælatis.

DEus fidelium omnium paſtor & rector, famulos tuos, quos Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice, & da eis, quęſumus, verbo & exemplo quibus pręſunt, proficere, vt ad vitam vnà cum grege ſibi concredito, perueniant ſempiternam. Per Dñm &c.

Pro Eccleſiæ pace & tranquillitate.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſita-

tibus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate, & pacem tuam noſtris concede temporibus: Per eundem Dominum &c.

Pro paſtore noſtro.

COncede, quæſumus omnipotens Deus, famulo tuo paſtori noſtro, vt prædicando & exercendo quæ recta ſunt, exemplo bonorum operum, animas ſuorum inſtruat ſubditorum, & æternæ remunerationis mercedem cum credito ſibi grege, à te pijſſimo paſtore percipiat: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

Pro parentibus & conſanguineis.

Exo. 20. DOmine Deus, qui ſecundùm te patrem & matrem honorare, & pro eorum incolumi vita & fortunis, vt æquum eſt, orare ſtrictè præcepiſti, da parentibus meis, omnibusque fratribus, ſororibus, conſanguineis & amicis, omnibusque domeſticis noſtris ſalutem & pacem: conſerua eos in fidei tuę pietate: cuſtodi eos ab omni corporis animique incommodo, largire gratiam tuam, nè vnquàm in vllo te offendant, ſed propitium te ſemper patrem & Deum experiantur. Amen.

Pro amicis & familiaribus.

EXaudi, quæſumus omnipotens Deus, preces noſtras, quas in conſpectu tuæ pietatis effundere præſumimus, ſuppliciter deprecantes, vt famulos & famulas tuas N N. in tua miſericordia confidentes, benedicas, &

omnia

omnia eorum peccata dimittas, tuaq; eos protectione conſerues, vt poſſint tibi digni fieri, & ad æternam beatitudinem valeant peruenire. Per Dominum &c.

Pro benefactoribus & malefactoribus.

OMnipotens ſempiterne Deus, conſeruator animarũ, miſereri digneris omnium eorum, qui mihi vel benè vel malè fecerunt, vt ſi de hoc mundo tranſiêrunt, non præualeat illis aduerſarius, ſed recipi ad te mereantur in vitam æternam: ſin adhuc ſuperſtites ſunt, tuæ benignitatis & miſericordiæ fauore ac protectione ſic vitam inſtituant, vt à morte miſericorditer à te bona recipiant æterna. Amen.

Vt proles rectè inſtituantur.

DEus, cuius vnigenitus poſt aſſumptã carnem à matre triduo perditus, in templo inter Iudæorum Scribas inuentus eſt, ſuæque Luc.2. abſentiæ rationem prudenti reſponſo cũ obedientia reddidit: da, vt non ſolùm ipſi tuo verbo, tuæq; doctrinæ adhęreamus, verùm etiam liberos noſtros, quos de tua munificentia habemus, ad nominis tui gloriam, ad timorem, ad diſciplinam, ad virtutem, ad obedientiam educemus, vt probitate vitæ & pietate fidei creſcant, tu beneplacitum, nos gaudium ſine incommodo habeamus, teque per omnem vitam noſtram celebrare valeamus: Per eundem Dominum noſtrum &c.

Pro

Pro prægnante muliere.

IVſte Domine Deus, qui propter primæ mulieris piaculum communem omnibus fœminis ſeueram & ineuitabilem maledictionem denunciâſti & impoſuiſti, nempe quòd in peccato originali conciperent, grauidæ multis & magnis cruciatibus ſubiacerent, & tandèm cum vitæ periculo parerent: mitiga, quæſo, pro tua immenſa bonitate, proque inexhauſta miſericordia tua, huius legis edictum, quieſcat paululùm ira tua, & fœminam hanc partum enitentem, tuæ gratiæ ſinu foue: adiuua eam, vt ſine periculo vitæ dolorem ſuperare, prolem corpore rectam, anima nobilem, iuſto tempore valeat parere, quô pòſt oblita anguſtiæ, cum gaudio miſerationis tuæ gratiam celebret, teque benedicat in ſecula ſeculorum, Amen.

Vt Deus coniugia conſeruet.

Gen.1. PIiſſime ſempiterneq; pater, creator, redemptor & augmentator humani generis, qui iam tum ab exordio mundi maſculum & fœminam coniugali vinculo coniunxiſti, nec multò pòſt, quàm natiuitas filij tui in mundo inclareſceret, ipſum coniugium per filium
Ioan.2. tuum primo miraculo confirmâſti, ac deniq;
1.Cor.7. per Paulum Apoſtolum tuum, vnitatem, pacem & amorem coniugatorum commendâſti: da vt coniugium noſtrum ità à te benedicatur & fœcundetur, vt ambo cum familia

quæ

quæ tibi placita ſunt peragamus, & omni bono proficiamus. Amen.

Pro amico tribulato.

PRæſta, quæſumus Domine, famulo tuo N. conſolationis tuæ auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem, perpetua defenſione conſerua, & propitius reſpirare concede, & ab eo noxia cuncta depelle, vitam quoque ſalutarem illi & gloriam ſempiternam tribue. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro eo qui in hæreſi verſatur.

DEus, cui grata eſt pro alijs ſupplicantis oratio, exaudi nos pro famulo tuo N. zelo verbi tui, ſed non ex ſcientia prædito, deprecantes, eique Spiritus ſancti tui lumen adſpira, vt errorum tenebris diſſipatis, & veritatis tuæ luce percepta, mentis pariter & corporis incolumitate perfruatur Per Dñm. &c.

De eo, de cuius ſalute dubitatur.

DEus, qui ſemp ingratis gratiã gratis præſtare cõſueuiſti, & ouẽ te fugientẽ & oberrantem miſericorditer requirere voluiſti: prꝗſta, quꝗſumus, miſericors, clemens, præſta, vt quos q̃rendo reuocâſti deuios, non patiaris perire ſanguinis tui precio cõparatos. Per. &c.

Pro ſalute æterna.

OMnipotens ſempiterne Deus, cuius miſericordiæ & pietatis non eſt numerus, qui ſimul cũcta creâſti: qui verbũ tuũ pro redemptione hummani generis incarnari voluiſti: qui

qui occulta cordium ſolus agnoſcis, miſerere
Pſal.24. animę meæ,& miſerere meî: delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas nè memineris Domine,ſed erue animam meam de manibus inimicorum meorum, & de profundo laci, &
Pſal.39. de luto fęcis. Nè derelinquas me Domine De-
Pſal.37. us meus, nè diſcedas à me : & nè tradas in manibus quærentium animam meam,ſed libera eam de omni anguſtia pijſſime pater: Per Dominum noſtrum &c.

Pro infirmis.

DEus, in cuius libro ſunt vocabula notata mortalium, concede nobis omnibus veniam delictorum,& præſta,quæſumus,famulo tuo N. vt quem immenſus languor excruciat, tua miſeratio reparet ad medelā : & ſicut ambitio piaculi adduxit dolorem, adducat etiam confeſſio ſalutis optabilem ſanitatem. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ideò delinquentibus occaſionem tribuis corrigendi, vt non ſit in eis quod puniat cenſura iudicij, ob hoc te pie pater expoſcimus, vt hoc accipias pro ſacrificio laudis, quòd famulus tuus atteritur virga correptionis : Per Dominum &c.

Reſpice, quæſumus Domine,famulum tuum N.infirmitate corporis laborantem,&animam refoue quam creâſti, vt caſtigationibus emundata, continuò ſe ſentiat tua medicina

ſal-

ſaluatum : Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, &c.

Deus, qui facturæ tuę pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum N. ex aduerſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratię ei prȩſtes medicinam: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Pro febricitante.

MIſericors & clementiſſime Deus, inclina aures pietatis tuæ ad preces & deſideria ſupplicantium, & hunc famulum tuum N. tota mentis & corporis intentione auxilium tuum implorantem, per paſſionem vnigeniti filij tui, ſaluberrimo miſericordiæ tuæ rore perfunde, vt æſtibus ardoribusque febrium ſopitis, & optabili recepta incolumitate, celſitudini tuæ gratiarum actiones referre præualeat : Per Dominum. &c.

Pro patientia in morbo vel afflictione.

OBſecro te Domine & ſuppliciter rogo, vt non facias mihi ſecundùm peccata mea, quibus iram tuam merui, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuā, quæ ſuperat etiam peccata totius mundi. Tu Domine qui exteriùs flagella irrogas, da interiùs indeficientem patientiam, ità vt laus tua nunquàm recedat de ore meo. Miſerere meî Domine, miſerere meî, & adiuua me, ſicut tu nôſti quod *Pſal. 56.*

mihi

mihi neceſſè eſt in corpore & in anima, ſcis omnia, potes omnia: Qui viuis in ſecula.

In ſumptione antidoti.

DEus, infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis: ad inuocationem nominis tui benignus aſſiſte, vt per hoc medicamentum omnis de meo corpore pellatur humor peſtifer, quatenùs clareſcentibus meis ſenſibus, in tuo ſeruitio valeam perſiſtere mundus: Per Dominum. &c.

In diminutione ſanguinis.

1.Tim.2. MEdiator Dei & hominum Deus homo Ieſu Chriſte, qui nè ęternę mortis deputaremur ſupplicio, tui ſacri ſanguinis redemiſti nos precio: præſta, vt per hanc diminutionem ſanguinis proueniat mihi ſalus corporis, omnes mei clareſcant ſenſus, totiusq́ue in me frigeſcat prauæ voluptatis luxus, per te ſaluator mundi, qui venturus es iudicare viuos & mortuos.

Pro reddita ſanitate.

DOmine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis: ad inuocationem nominis tui aſſiſte, & hunc famulum tuum liberatum ægritudine, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſta-

te

te tuearis: Eccleſiæ tuæ ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas: Per Dominum &c.

Pro infirmo qui proximus eſt morti.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſeruator animarum, qui quos diligis, corripis: quos recipis, piè ad emendationem coerces, te inuocamus Domine, vt medelam conferre digneris in animam famuli tui N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, vim laboris, ſtimulos infirmitatis: da ei Domine gratiam tuam, vt in hora exitûs illius de corpore, abſque peccati macula tibi per manus ſanctorum angelorum præſentari mereatur: Per Dominum &c. Heb. 12.

Sub exitum animæ de corpore.

DEus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum, nulla temporum lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ ianuã aperis, pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ huius termino non repellis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuũ N. remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renoua in eo pijſſime pater quod actione, quod verbo, quod ipſa deniquè cogitatione, Diabolica fraude vitiatum eſt, & vnitati corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis annecte: miſerere gemituum, miſerere lachrymarũ, & nõ habentem fiduciam niſi in miſericordia tua,

ad ſacramentum reconciliationis admitte: Per Dominum &c.

Aſcendant ad te Domine preces noſtræ, & animam famuli tui N. gaudia æterna ſuſcipiant, vt quem feciſti adoptionis participem, iubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortem: Per Dominum &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori animam ad ſimilitudinē tuam inſpirare dignatus es, dum te iubente puluis in puluerem reuertitur: tu imaginem tuā cum ſanctis & electis tuis æternis ſedibus præcipias ſociari, eamq́ue ad te reuertentem, de Aegypti partibus blandè, leniterq́ue ſuſcipias, & angelos tuos ſanctos ei obuiàm mittas, viáq́ue illi iuſtitiæ demonſtra, ei portas gloriæ tuæ aperi. Repelle, quæſumus, ab ea omnes principes tenebrarum, & agnoſce depoſitū fidele, quod tuum eſt. Suſcipe Dn̄e creaturam tuam non ex dijs alienis creatam, ſed à te ſolo viuo & vero Deo, quia non eſt alius Deus præter te Dn̄e. Lætifica clementiſſime Deus animam famuli tui N. & clarifica eam in multitudine
Pſal. 78. miſericordiæ tuæ. Nè memineris, quæſumus, iniquitatum eius antiquarum & ebrietatum, quas ſuſcitauit furor mali deſiderij: licèt enim peccauerit, tamen te non negauit, ſed ſigno fidei inſignitus, te qui omnia, & eum inter omnia feciſti, fideliter adorauit: Qui viuis & regnas Deus &c.

Pro commendatione animæ.

Omni-

OMnipotẽs ſempiterne Deus, cui nũquàm ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propitiare animæ famuli tui, vt qui de hac vita in tui nominis confeſſione deceſſit, ſanctorum tuorũ numero facias aggregari: Per Dominum &c.

Temeritatis quidem eſt, Domine, vt homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo noſtro audeat commendare: ſed quia terra ſuſcepit terrã, & puluis conuertitur in puluerem, donèc omĩs caro in ſuã dirigatur originem: indè tuam Deus pijſſime pater lachrymabiliter quæſumus pietatem, vt huius famuli tui animam, quam de huius mundi voragine cœnulenta ducis in patriam, Abrahæ amici ſinu recipias, & refrigerij rore perfundas: ſit ab æſtuantis gehennæ truci incendio ſegregata, & beatæ requiei te donante, coniuncta: Et ſi quæ ſunt illi dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitiſſimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, ſed indulgentiæ tuæ piam ſentiat bonitatem. Cumq́ue finito mundi termino ſuperum illuxerit regnum, nouus homo omnium ſanctorũ cœtibus aggregatus, cum electis reſurgat in parte dextra coronandus: Per Dominum &c.

Pro viuis & defunctis.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumq́; miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis, te ſuppliciter exora-

mus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præſens ſeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, pietatis tuæ clementia delictorum ſuorum omnium veniam, & gaudia conſequi mereantur æterna: Per Dominum &c.

Pro parentibus noſtris defunctis.

ANimabus, quæ ſumus Domine, famulorum famularumque tuarum parentum noſtrorum, omniumq; in Chriſto quieſcentium, miſericordiam concede perpetuam, vt eis proficiat in æternum, quòd in te ſperauerunt & crediderunt: Per eundem &c.

Ad impetrandam ſapientiam & gratiam Spiritusſancti.

DEus, qui per coæternam tibi ſapientiam, hominem cùm non eſſet, condidiſti, perditumq; miſericorditer reformâſti: præſta, quæſumus, vt eadem pectora noſtra inſpirante, te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus: Per Dominum &c.

Alia D. Auguſtini.

COnuerſi ad te Dominum Deum, patrem omnipotentē, puro corde, & quantùm poteſt paruitas noſtra, maximas atque vberes gratias agimus, precantes toto corde ſingularem manſuetudinem tuam, vt preces noſtras in beneplacito tuo exaudire digneris, inimicum quoq; à noſtris actibus & cogitationibus tua virtute expellas, nobis fidem multiplices mentem

mētem gubernes, ſpiritales cogitationes concedas, & ad beatitudinem tuam perducas.

Eiuſdem, pro conſeruatione donorum Dei.

GRatias agimus tibi Domine ac ſalutaris noſter, qui nos nullis præcedentibus meritis vulneratos curâſti, & inimicos reconciliâſti, & de captiuitate redemiſti, de tenebris ad lucem reduxiſti, de morte ad vitam reuocâſti: humiliter confitentes fragilitatem noſtram, tuam miſericordiam deprecamur, vt quia nos miſericordia tua præueniſti, digneris in nobis nō ſolùm cuſtodire, ſed etiam augere munera & beneficia tua, quæ ipſe dignatus es dare. Da benigne Deus, nè mihi donum tuum ſit infructuoſum, quod tua ſpontanea dediſti volūtate: perfice quòd incepiſti, & dona quod me benignè præueniendo deſiderare feciſti: Qui cum patre & Spiritu ſancto &c.

Eiuſdem.

DOmine Deus meus, qui de nobis ſponſam tibi ſpiritalem reparâſti, quam etiam tuo precioſo ſanguine redemiſti: adiuua nos, quęſumus, vt quiſque noſtrûm beneficia in ſe collata, non ſolùm cuſtodiat, ſed etiam augere contendat, vt nihil in nobis aut per luxuriam ſordidum, aut per ſuperbiā tumidum, aut per iracundiam combuſtum, aut per auaritiam obſcurum, aut per inuidiam vipéreo veneno percuſſum appareat, vt ſponſus ille ſpecioſus Pſal. 44. præ filijs hominum, nihil in nobis de ſupra-

dictis peccatis inueniat, quod oculos tuæ Maieſtatis offendat, quia tibi eſt honor & imperium, cum patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum. Amen.

Pro die iudicij, B. Auguſt.

DA nobis Dñe ità ſpiritaliter viuere, & bonis operibus ſemper inſiſtere, vt cùm nos caſtos, ſobrios, miſericordes & pios iudicij dies inuenerit, non cum impijs & peccatoribus puniamur, ſed cum iuſtis & Deum timentibus peruenire ad æternam beatitudinẽ mereamur: Per Dominum noſtrum &c.

Pro auditione verbi Dei, eiuſdem.

MIſericordiam tuam Domine ſuppliciter deprecamur, vt deſiderium audiẽdi verbum tuum, quod in nobis placatus contuliſti, & augere ſemper & conſeruare digneris: Qui cum patre &c.

Contra concupiſcentiam, eiuſdem.

COncede nobis Domine Deus mũdi huius concupiſcentiam vincere, de diabolo & angelis eius ante tribunal tuum felicem victoriam reportare: Qui viuis &c.

Pro ebrietate vitanda, eiuſdem.

OMnipotens miſericors Deus, ità nos inſpicere dignare, vt tam lugendum atq; etiam erubeſcendum ebrietatis malum, ità nobis in horrorem veniat, vt illud nunquàm fieri permittamus, ſed quod in ebrietate periturum erat, in pauperum refectionem proficiat: Per

Domi-

Dominum noſtrum &c.

De conſeruanda gratia Baptiſmi, eiuſdem.

DOmine Deus, qui nos nullis præcedentibus meritis de inferni carcere, & de tenebris æternæ noctis liberâſti, da nobis ſobriè, caſtè ac piè viuere, vt ſtolam Baptiſmi ſine aliqua luxuriæ macula integram illibatamque ſeruantes, ad æterni ſponſi thalamum, & ad illud cæleſte & imperiale conuiuium charitate ſplendidi, bonorum margaritis operum ornati, feliciter peruenire valeamus: Per Dominum noſtrum &c. Tit.2.

Pro medio obtinendo inter duo mala, eiuſdem.

MIſericordia tua Domine ità nos refoueat, vt nullo modo negligẽtes reddamur: ſic peccata noſtra perturbet, vt mens in deſperationem non proruat, vt dum & præſumentes metuimus, æternum regnum citiùs adipiſcamur: Per eum qui viuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto &c.

Oratio pœnitentis B. Auguſtini.

REuertentes nos Domine clementer amplectere, quia peccatorum vita indigna tibi eſſe non poteſt, quæ fletibus lauatur in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Largitatem pietatis tuę omnipotens Deus adſpicimus, & ad miſericordem iudicẽ, dum adhuc expectat, cum lachrymis venimus. Cõſiderantes nanque quòd iuſtus ſit, peccata noſtra nõ negligimus: conſiderantes verò quòd

pius ſit, non de ſperamus. Præbeat apud te Deũ hominj fiduciam, Deus homo. Eſt nanque nobis ſpes magna pœnitentibus, quia aduocatus noſter factus eſt iudex uoſter, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Qui tecum viuit &c.

Eiuſdem pro peccatrice anima.

ANimus meus, ſocius & amicus meus, fatigatus de via venit, languet & iacet diſciſſus ab his, quas pertranſierat, vanitatibus: eſurit & ſitit valdè, & non habeo quod ponam anteillum, quia pauper ſum & mendicus. Tu Domine Deus meus diues omnium bonorũ, da laſſo cibum, collige diſperſum, reintegra ſciſſum. En ſtat ante oſtium & pulſat, obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ quibus viſitâſti nos oriens ex alto, aperi pulſanti, miſero manum pietatis tuæ porrige, & iube propitiabili dignatione vt ingrediatur ad te, reficiatur de te viuo cæleſtique pane, quô ſatiatus reſumptiſq; viribus ad ſuperiora conſcendat: munda cor meum ab omni inquinamento, ſanctifica me ſanctificator omnipotens interiùs & exteriùs, ità vt dignum habitationis tuæ efficiar templum, hîc & in perpetuum, tandemque videam te Deum deorum in Sion, nunc quidem per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, cum omnibus ſanctis & electis tuis. Amen.

Luc. 11. Luc. 1. Pſal. 83. 1. Cor. 13

Eiuſdem. pro remiſsione peccatorum & petitione lachrymarum

Chriſte

CHriſte Domine, verbum patris, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſaluos facere, rogo te per indulgentiſſima miſericordiæ viſcera, emenda vitam meam, meliora actus, cõpone mores, tolle de me quod mihi nocet, & tibi diſplicet, & da quod nôſti tibi placere, & mihi prodeſſe. Quis poteſt facere mundum de immũdo conceptum ſemine, niſi tu ſolus? Iob 14.
Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis, qui iuſtificas impios, & viuificas mortuos propter peccatum, qui mutas peccatores, & non ſunt: Tolle ergò de me quicquid tibi diſplicet in me: imperfecta enim mea plurima vidẽt oculi tui: mitte, quæſo, manum pietatis tuæ in me. Coram te Domine eſt ſanitas & infirmitas mea: illam, precor, ſerua, iſtam ſalua. Sana Hie: 17
me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero, tu qui infirma ſanas, & ſanata conſeruas, tu qui ſolo nutu tuo reſtauras diru a & collapſa. Si enim dignaris in agro tuo, c rde meo ſeminare bonũ ſemen, neceſſè eſt, vt manu pietatis tuæ ſpinas priùs euellas vitiorum meorũ. Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime, deſideratiſſime, amabiliſſime, pulcherrime, infunde, obſecro, multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ pectori meo, vt nihil terrenum, nihil carnale deſiderem, vel cogitem, ſed te ſolum amem, te ſolum habeã in corde & in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla vnquàm obliuione delendam.

Scribe in tabulis cordis mei voluntatē tuam & iuſtificationes tuas, vt te immenſę dulcedinis Dn̄m, & præcepta tua ſemper & vbiquè habeam præ oculis mei. Succende mentem
Luc.12. meam igne illo tuo, quem miſiſti in terram,
Pſal. 50. & voluiſti vehementer accendi, vt ſacrificium ſpiritûs contribulati & cordis contriti obortis lachrymis quotidiè offeram tibi. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, ſicut deſidero, ſicut mente mea peto, da mihi amorem tuum ſanctum & caſtum, qui me repleat, foueat, totumque poſſideat. Et da mihi euidens ſignum amoris tui, irriguum lachrymarum fontē iugiter emanantem, vt ipſę quoquè lachrymæ tuum in me teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit ſe à lachrymis continere. Reſpice & miſerere meî, quia dolores cordis mei multiplicati ſunt. Da mhi conſolationem tuam cæleſtē, & noli ſpernere peccatricē animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæſo, lachrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorū meorum poſſint ſoluerę vincula, & cæleſti iucunditate ſemper repleant animam meā. Solum confugium, vnica ſpes miſerorū, cui nunquàm ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, præſta mihi hāc gratiam, propter te & propter nomen ſanctū tuum, vt quotiès de te cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de te confero, quotiès tuî reminiſcor, tibi aſſiſto, laudes, preces & ſacrificium

ficium offero, totiès obortis lachrymis in cõſpectu tuo copiosè & dulciter fleam, ità vt efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidẽ rex gloriæ & omnium virtutum magiſter, docuiſti nos verbo & exemplo gemere & flere, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Tu fleuiſti defunctum amicum, & lachrymatus es valdè ſuper perituram ciuitatem: Rogo te bone Ieſu, per illas precioſiſſimas lachrymas tuas, & per oẽs miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, da mihi gratiã lachrymarum quam multùm deſiderat & appetit anima mea, quia ſine dono tuo non poſſum habere eam, ſed per ſpiritũ ſanctũ tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Da mihi irriguum ſuperius & irriguũ inferius, vt ſint mihi lachrymę meę panes die ac nocte, efficiatq; in conſpectu tuo Deus meus per ignem compunctionis holocauſtum pingue & medullatum, mácter totus in ara cordis mei, & tanquàm pinguiſſimum holocauſtum aſſumar tibi in odorem ſuauitatis. Da mihi dulciſſime fontẽ irriguum, fontemque perſpicuum, in quo lauetur quotidiè iſtud inquinatũ holocauſtum. Licèt enim me totum tibi obtulerim, opitulante gratia tua, in multis tamẽ quotidiè offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da ergò mihi gratiã lachrymarũ benedicte & amabilis Deus, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui & com-

Pſal. 41. Matth. 5. Iohã. 11. Luc. 19. Ioſ. 15. Iudic. 1. Pſal. 41.

commemoratione miſericordiarum tuarum, præpara hanc menſam famulo tuo in conſpectu tuo,& da mihi eam poteſtatem,vt quotiès volo,ſatier ex ea. Tribue pro pietate & boni-
Pſal.2. tate tua, vt iſte calix tuus inebrians & præclarus ſatiet ſitim meam,vt inhiet tibi ſpiritus meus, & ardeat mens mea in amore tuo, oblitus vanitatis & miſeriæ. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quę peto,& da vt petam quod exaudias: pie & exorabilis Domine, nè efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, ſed propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſerui tui,& da mihi effectum petitionis meæ & deſiderij mei, precibus & meritis glorioſæ virginis Mariæ, dominæ meæ & omnium ſanctorum, Amen.

Ad Chriſtum paſtorem peccatoris pro ſeipſo.

COlloca me Domine in caulis tutiſſimis gregũ tuorũ, quia tu es paſtor bonus, qui
Iohã.10. requiris & reducis perditam ouem, tueris &
Luc.15. ſaluas inuentam, ſanas & foues languidam. Et tu es miſericors Dominus,qui ſperantes in te non confundis, requirentes te non derelinquis, reuertentes ad te non reſpuis, ſed exultando & laudando ſuſcipis, atque in æterna beatitudine vnà cum ſanctis & electis tuis ęternaliter regnare concedis, quia eſt tibi cũ æterno patre & Spirituſancto vna Deitas, gloria, virtus, imperium & poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

Pro intelligentia ſacræ doctrinæ.

EXcita Domine tuorum corda fidelium, vt ſacris intenta doctrinis, & intelligant quæ ſequantur, & ſequendo fideliter appræhendant.

Omnipotens ſempiterne & miſericors Deus, cuius verbum lucerna eſt pedibus noſtris, Pſal.118.
& lumen ſemitarum noſtrarum: aperi & illumina mentem noſtram, vt oracula tua purè & ſanctè intelligamus, & in id quod rectè intelleximus, transformemur, quô Maieſtati tuæ nulla ex parte diſpliceamus: Per Dñm. &c.

Ante ſtudium, profeſſionem vel Concionem, S. Thomæ Aquinatis.

CReator ineffabilis Deus, qui de theſauris ſapientiæ tuę nouem Ordines angelorum informâſti, & eos miro ordine ſuper cælum Empyreum collocâſti, elegantiſſimè partes vniuerſi diſpoſuiſti: tu, inquã, qui verus fons luminis & ſapientiæ diceris atque ſupereminens principium, infundere digneris ſuper intellectûs noſtri tenebras tuæ radium claritatis: duplicẽ, in qua nati ſumus, remoueas priuationem, peccatum ſcilicet & ignorantiam.
Qui linguas infantium facis diſertas, linguam Sap.10.
meam erudias, atque in labijs meis gratiã tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facultatem, loquendi gratiam copioſam, greſſus inſtruas,

pro-

proceſſum dirigas,& egreſſum compleas: Qui cum patre & Spiritu ſancto viuis &c.

Ad impetranda opera miſericordiæ.

DEus meus, miſericordia mea, oro te per dilectum filium tuũ,da mihi miſericordiæ opera, pietatis ſtudia, cõpati afflictis, conſulere erroneis,ſuccurrere miſeris, ſubuenire egenis, conſolari mœſtos, releuare oppreſſos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem deſpicere,ſed honorare, bonos imitari, malos cauere,virtutes amplecti,vitia reijcere,in aduerſis patientiam, in proſperis con-
Pſa.140. tinentiam, cuſtodiam oris, & oſtium circunſtantiæ labijs meis: terrena calcare,& cœleſtia ſemper ſitire: Per eundem &c.

Pro laudatione & dilectione Dei.

DAtor omnium bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, ſimul cum cordis puritate & mentis iubilatione, vt perfectè te diligens,& dignè te laudãs,ipſo cordis palato ſentiam & guſtẽ quàm
Pſal.55. dulcis & ſuauis es Domine: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum,&c.

Alia pro amore Dei impetrando, B. *Auguſtini.*

DOmine IESV Chriſte, rogo te per ſalutifera vulnera tua,quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quibus emanauit ille precioſus ſanguis, quo ſumus redempti, vulnera

hanc

hanc animã meam peccatricem, pro qua etiã mori dignatus es: vulnera eam igneo & potẽtiſſimo telo tuæ nimiæ charitatis. Tu ſagitta electa, & gladius acutiſſimus, qui durum ſcutum humani cordis penetrare tua potentia vales, cõfige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata ſum, ità vt ex ipſo vulnere amoris tui vberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Eccè cor meum coram te eſt, diſcute tenebras eius, vt amoris tui claritate pleniùs perfundatur. Tribue vt concaleat cor meũ intrà me, & in meditatione mea exardeſcat ignis. Da mihi Dñe Deus meus te, redde mihi te: en amo te, & ſi parùm eſt, da vt amem validiùs. Reple in me quod deeſt mihi amoris tui, ad id quod ſatìs eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donèc abſcondatur in abſcondito vultûs tui. In te enim confido Domine, in te ſpero, in te reſpiro, ad te peruenire deſidero. Fac mecum ſecundùm magnam infinitam & abyſſalem miſericordiam tuam pie Domine Ieſu Chriſte: Qui cum patre &c. Pſal. 38.

Pro diuino auxilio.

PAter miſericordiarum, audi eiulatum populi tui, & porrige manũ tuam optimam adiutricem, vt retrahat me de profundis aquarum, & de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, nè pereat videntе miſericordia oculorum tuorum, adſpiciente clemẽtia viſcerum tuorum, ſed euadam ad te Dominum Deum meum, vt Pſal. 39.

videam

Pſal.76. videam diuitias regni tui, & intuear faciem tuam ſemper, & laudē dicam nomini tuo ſancto Domine, qui facis mirabilia, qui cor lætū
Pſal.42. facis memoria tua, qui illuminas iuuentutem meam, nè deſpicias ſenectutem meam, ſed iu-
Pſa.102. bilare facias oſſa mea, & reuiuiſcere facias, vt Aquilæ, canos meos: Per Dominum &c.

In quacunque tribulatione.

DEus, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectū: adeſto precibus noſtris, quas pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque clementer ſuſcipiens, tribue, vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanę moliuntur aduerſitates, ad nihilum redigantur, & conſilio tuæ pietatis allidantur, vt nullis aduerſitatibus læſi, ſed de omni tribulatione & anguſtia erepti, læti in Eccleſia tua ſancta tibi Deo gratias referamus: Per Dominum &c.

In anxietate cordis, & animi certo deſiderio.

DOmine Ieſu Chriſte, propter temetipſum adiuua me, & citò exaudi orationē meā: Domine, concede nè animus deficiat, & frigeſcat oratio mea.

Tibi ſoli bone Ieſu gratias ago, ꝙ aliquid luminis præſtitiſti ſeruo tuo peccatori: idipſum magìs accendere dignare propter effuſionem ſanguinis tui. Ad obſequendum ſpiritui carnem meam compellas, & voluntatem tuam me facere doceas, rebellemque iuuentu-

tem

tem meam ad capeſſendum ſuaue tuum iugum inflectas. Trahe me poſt te, & ſicutì tu ſcis,& ſicutì tu vis, miſereri meî, & corruptelæ carnis meæ ſpiritûs tui pharmaco medere. Can.1.

Dñe,duc me quò non volo, da quod iubes, & iube quod vis: & ſecundùm beneplacitum voluntatis tuę compelle me viuere in fide per dilectionem efficaci, vt ſaluus fiam.

Elue & expelle omnē libidinoſum affectū, & robore ſpiritûs tui laſciuiam omnem huius carnis coerce, nè ampliùs, quàm infirmiuſcula hæc caro ferre poſſit, me tentari patiaris: ſed da, vt ſpiritus tandèm vincat, & erigat nutantem animum, triſtemq; exhilaret: exaudi me ſeruum tuum peccatorem ſecundùm promiſſiones tuas, & illumina cor meum ſplendore vultûs tui, nè caro laſciuiens reluctetur ſpiritui.

Confirma me Domine Deus benignitate tua,& tantam cordi meo orationis vim ſuggere, vt te ad exaudiendum effuſas ad te preces, commoueat.

Euelle ſuauiſſime Ieſu radicem peccati ex vulnere meo, & oleo gratiæ tuę perfunde vulnus illud, quod nititur refricare vetus peccatum carnis meæ, vt Spiritumſanctum tuū deſinat contriſtare.

Domine Ieſu, qui ſolus es via vera, atq; parator viæ, vbi non eſt, para illam mihi in cauſa tibi cognita, quæ tibi placeat, non quę carni arrideat, & medium oſtende, quod apud te

ſolùm inuenire licet, quod conueniat ſaluti animæ meæ.

Nè, quæſo ô ſaluator, longiùs differas gra-
Ezec.18. tiam tuam, qui non quæris mortem peccatoris, ſed magis vt reſipiſcat & viuat. Imploranti igitur & anxiè cupienti noli tardare adferre auxilium tuum. Non ſicut ego volo, me exaudi Domine, ſed ſicut tu vis, me doce facere, ac tandèm quandò tibi beneplacitum erit, miſerere meî. Solum hoc effice, nè per ignauiam aut deſperationem deficiam in oratione mea, & nè deſpondeam animum, aut à ſpe concepta vnquàm deflectam, ſi tu benigne Domine longiùs diſtuleris quod rogatur. Tibi enim ſoli cognitum, quandò tempus miſerendi & exaudiendi eſt. Interìm conſtantiam adhibe impatientiæ meæ, nè deficiat & labefactetur anima mea. Languidum & abiectum animum conſolare ſpiritu tuo, vt tandèm ſemèl quandò volueris, ſentiam te exaudîſſe orationem ſerui tui peccatoris.

Inclina Dñe aurem tuā ad clamorem meū, & ſecundùm viam tuam dirige greſſus meos, vt dum vim patior, tu Dñe reſpōdeas pro me. Debilis ſum atq; ero dum hîc vixero: cæleſti autem medicamento & beneficio bonitatis tuæ ſuccurre mihi: nam ô pater ex nobis nihil habemus, ſed propter vnicè dilectum filiū tuum Ieſum Chriſtum in te omnia poſſide-
Pſal.30. mus. Qui in te ſperat, Domine, non confundetur in æternum. Quarè ſi non meam exau-

dis

dis voluntatẽ, certè diuinæ tuæ voluntati per fidem adhærentem exaudies tandèm.

Lachrymas ô bone Ieſu meas digito miſericordię tuę abſterge, & omnem mœrorẽ cordis mei per immenſam bonitatem tuã ad lętũ atque felicem finẽ tandèm perducito. Totum proieci me in ſinum tuũ, qui es adiutor oportunus in tribulatione mea; reijce me cum miſeratione tua quò me volueris, vt firmus ac indeficiens ibì conſiſtere poſſim. Nam tu omnipotens Deus, fidelis pater, occidiſti quidẽ, ſed iterùm vitam tribuiſti: miſiſti in gehennam, & iterùm reduxiſti: tandèm ſicut tibi placitum eſt de me fieri, ità age mecum ſecundùm miſericordiam tuam. Nam ſi aliquid ſitit anima mea, deſiderium meũ beneplacito tuo committo, vt compleatur, & meum nolle in tuum velle conuertatur.

Domine, tu nôſti, an quæ ego deſidero, in nomine tuo fieri poſſint: ſi autem animæ ſaluti conueniunt, pacatam & tranquillã meam redde conſcientiam, quę abſque te ſemper erit conturbata, quia ſemper inquietum eſt cor noſtrum, donèc requieſcat in te.

In manus tuas Domine totum negotium tibi cognitum committo, vt anxietate cordis mei planè ſolutus, iuxta voluntatem tuam optatum tandèm votum aſſequi poſſim: vtque planè à benignitate tua conſolatus, tandèm hinc ex animo diſſolui cupiens, ſecundùm verbum tuum, tecum perpetuò viuere

queam: Qui viuis & regnas cum Deo patre & Spirituſancto verus DEVS in omne æuum. Amen.

Ad pulſum campanæ meridianum.

DOmine IESV Chriſte, qui dū hora ſexta pro redemptione mundi, crucis aſſcendiſti lignum, vniuerſus mundus in tenebras conuerſus eſt: illam nobis lucem in anima & corpore noſtro ſemper tribue, per quam ad æternam vitā peruenire mereamur: Qui cū patre.

Alia, quæ ſextis ferijs in Eccleſia canitur.

TEnebræ factę ſunt dum crucifixiſſent IESVM Iudæi, & circa horam nonā exclamauit Ieſus voce magna: Deus meus, vt quid dereliquiſti me? & inclinato capite, emiſit ſpiritum. Tunc vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Verſ. Et velū tēpli ſciſſum eſt à ſummo vſque deorsùm, & omnis terra tremuit. Reſp Et inclinato capite, emiſit ſpiritū. Verſ. Proprio filio ſuo non pepercit Deus. Reſp. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Matt. 27. Iohā. 19. Matt. 27. Rom. 8.

OREMVS.

DOmine IESV Chriſte fili Dei viui, qui pro ſalute mundi in cruce felle & aceto potatus es, ſicut tu conſummatis omnibus in cruce expirans, in manus patris commendâſti ſpiritum tuum, ſic & in hora mortis meæ, in manus tuæ pietatis commendo animam meā, vt eam in pace ſuſcipias, & electorum tuorum cho-

Iohā. 19. Luc. 23.

choris aggregari præcipias: Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritusſancti Deus, per omnia &c.

Hora nona, quæ nobis eſt tempus medium inter meridiem & veſperam.

DOmine IESV Chriſte, qui hora nona in crucis patibulo confitentem latronem intra mœnia paradiſi tranſire iuſſiſti: te ſuppliciter, confitentes peccata noſtra, deprecamur, vt poſt obitum noſtrum paradiſi gaudia introire gaudentes cõcedas: Qui cum patre &c. Luc. 23.

Hora duodecima.

DOmine Deus, dominator omnium & protector, qui ſeparâſti lucem à tenebris, te ſubnixis precibus exoramus, vt in hac ſuperuentura noctis caligine, tua nos protegat dextra, vt in lucis aurorã cuncti ſurgamus gaudentes: Per Dominum &c. Gene. 1.

Adpulſum campanæ veſpertinum.

DOmine IESV Chriſte, qui circa hãc horam cum diſcipulis tuis in hortũ exiiſti, paſſurus pro humano genere, æterna morte culpa primi parentis damnato, vt illud tua paſſione & morte patri tuo cæleſti rurſùs in gratiam conciliares, & in vitam, à qua exciderat, adſereres: da mihi ſic perpetuò tuã amariſſimam paſſionem piè recolere, vt illa nunquàm in me deperdita eſſe inueniatur, ſed mihi cum cæteris electis tuis in vitam conducat æternam, ad quam nobis reſtituendam, Iohã. 18.

tu pati & mori pro nobis voluiſti. Amen.

IN quocunque loco eris, cùm & hunc & matutinum & meridianum audis pulſum, aperi in reuerentiam Domini caput tuum, & in genua procumbe, & mitte in cælum in conſpectum Domini *animum tuum, ac ora, nè patiatur eſſe in te perditam ſuam pro humano genere paßionem.* Multos *hic pudet videri pios ac deuotos, & Domino ſupplices: quòd eorum corda ſuperbè parans Satan occupet: te non pudeat in omni loco & coram toto mundo talem videri, qualem eſſe hominem benè Chriſtianum, & decet & eſſe oportet.* Non *ſunt enim fruſtrà, nec ſine magna ratione huiuſmodi à ſanctis patribus inſtituta in* Eccleſia Domini.

Preces veſpertinæ.

ORiatur Domine naſcentibus tenebris aurora iuſtitię in cordib⁹ noſtris, vt peracto diei ſpatio, tibi ſuppliciter gratias agentes, etiam manè dignanter reſpicias vota ſoluentes: Per Dominum &c.

Pſal. 73. Tuus eſt dies Domine, & tua eſt nox, concede ſolem iuſtitiæ permanere in cordibus noſtris, ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum: Per Dominum &c.

Gratias tibi agimus Domine, cuſtodi per diem, grates tibi exoluimus cuſtodiendi per noctem: repræſenta nos, quæſumus Domine, matutinis horis incolumes, vt nos omni tempore habeas laudatores: Per Dominum &c.

Omni-

OMnipotens ſempiterne DEVS, Veſperè, Manè, & Meridie Maieſtatē tuam ſuppliciter deprecamur, vt expulſis de cordibus noſtris peccatorũ tenebris, ad veram lucem quæ Chriſtus eſt, nos facias peruenire: Per eundem Dominum &c.

NOcte cùm ad quietem te compoſiturus es, Pſalmum vnum aut alterum, itemq; vnum ex nouo aut veteri Teſtamento caput in libro diligenter & deuotè lege, vtì ſuprà principiò admonitum. Et deindè antequàm te exuas veſtibus, genibus ante lectum reuerenter flexis, veſtitu honeſtè compoſito, dic ſequentem vel ſimilem Confeſſionem.

O Creator & Domine cæli & terræ, maris & omnis creaturæ: ſancte, fortis, terribilis, omnipotens, iuſtus & rectus, miſerator & miſericors Deus: Ego indignus miſer & infelix, confiteor & cognoſco me fuiſſe & eſſe viliſſimum & nefandiſſimum peccatorem, & tam enormiter oculos tuæ Maieſtatis offendiſſe, quòd nõ ſum dignus vocari filius tuus, Luc.15.
ſed nec infimus ſeruus tuus, nec quidē vt terra ſuſtineat calcaneum pedum meorũ: quantò minùs vt offeram tibi aliquod ſacrificium laudis, vel gratiarum actionis? Si enim natura Rom. 11.
lib⁹ ramis, & prçclariſſimis ſpiritibus, Lucifero Eſa.14.
videlicet & ſocijs eius, nõ pepercisti, ſed pro vno tantùm cogitatu & momentaneo peccato, quod cogitauit, rebellionis & ſuperbiæ, de ſummo cæli habitaculo eiectos, æternis ſup-

plicijs tradidiſti puniendos: quid ego ſceleratiſſimus & miſerrimus homuncio dicere vel prætendere potero, qui non vno, ſed innumeris peccatis & vitijs te offendi, & quidem adhuc offendere non ceſſo, peccata peccatis accumulando? Verùm pijſſime pater, quia pater
2.Cor.1. miſericordiarum tu es, & tibi propriũ eſt mi-
Eze.18. ſereri ſemper & parcere, qui non vis mortem peccatoris, ſed magìs vt conuertatur & viuat: De tua ergò miſericordia ſummè confidens, peto indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum meorum, quibus vnquàm tuam bonitatẽ offendi, ſicut tu meliùs nôſti, à principio vitæ meæ vſque in hanc horam, ſcienter vel ignoranter: ſpecialiter tali, vel tali peccato, tali tempore & loco, taliter & totiès. (*Et recole ſuperficialiter grauiora peccata.*) De quibus omnibus propitiàre mihi infeliciſſimo peccatori clementiſſime pater, omnibuſque peccatoribus qui te vnquàm offenderunt, propter magnam miſericordiam tuam. Et ſpecialiter miſerere illorum miſericors Deus, quibus ego fui, vel qui mihi fuerũt quomodolibèt occaſio vel concauſa peccandi: abſoluens nos per pijſſimam miſericordiã tuã, ex digniſſimo merito vnigeniti filij tui Dñi noſtri IESV Chriſti, & pijſſimæ matris eius MARIAE, & omnium ſanctorum, ab omnibus iniquitatibus & peccatis noſtris. Et quia pro tantis ſceleribus condignam pœnitentiam agere non poſſumus nec ſatisfacere, pone oĩa

merita,

merita, pœnas quoq; & anguſtias, quas in hac vita innocenter paſſus eſt vnigenitus & dilectus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, tribuens nobis veram cõtritionem, & puram peccatorum noſtrorum confeſſionem, emendationem vitæ, & facultatem & gratiam promerendi vitam & gloriam ſempiternam. Amen.

Deindè dic tres priores verſus ex Pſal.50.

MIſerere meî Deus, ſecundùm magnã miſericordiam tuam. Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et deindè tundens pectus, dic: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Poſteà dic Hymnum B. Ambroſij. Luc.18.

Chriſte, qui lux es & dies, pag.8.

Deindè dic.

GRatias ago Domine ſancte pater, qui me peccatorẽ non meis meritis, ſed tua ſanctiſſima gratia hunc diem tranſigere feciſti, concede, vt hac quoquè nocte in tua pace trãſacta, reſurgam ad ſeruiendum tibi Deo viuẽti.

Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcam⁹ in pace. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Aue Maria. &c. Credo in Deum patrem &c. Dignare Dñe nocte iſta, Sine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtrî Domine, miſerere noſtrî.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, Quemadmodùm ſperauimus in te.
Eſto nobis Domine turris fortitudinis, A facie inimici. Domine exaudi.&c. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

ILlumina, quæſumus Domine, tenebras noſtras, & totius huius noctis inſidias tu à nobis repelle propitius: ſalua nos, quæſumus omnipotens pater, & lucem tuam nobis concede perpetuam: Per CHRISTVM Dominum noſtrum. Amen.

Pſal. 12. ILlumina oculos meos Domine, nè vnquàm obdormiam in morte: nè quandò dicat inimicus, Præualui aduersùs eum: ſed in lumine tuæ claritatis permanens, tecum viuã in ſempiterna ſecula. Amen.

Ingrediens lectum, ſignansq; te ſigno crucis in fronte & pectore, dic:

INtro in requiem meam in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, qui me redemit ſuo precioſo ſanguine, is me benedicat, cuſtodiat, protegat, & poſt hanc miſeram & lamentabilem vitam, ad vitam æternam perducat. Amen.

Pſal. 16. Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi, Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Pſal. 30. Luc. 23. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Suſcipe in finem animam meam.

In

In pace in idipſum, dormiam & requieſcam. Pſal. 4.

In hæc verba indormi, & quieſce in nomine DOMINI.

PRECES NOCTVRNAE BREVIORES,

Quæ antequàm incumbas, vel cùm noctù expergiſceris, dici poterũt.

DEus, qui illuminas noctem, & lucem poſt tenebras facis, concede nobis, vt hanc noctem ſine impedimento Satanæ tranſeamus, atque matutinis horis ad altare tuũ recurrentes, tibi Deo gratias referamus: Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

PAcem tuam Domine de cælo da nobis, & pax tua Chriſte permaneat in viſceribus noſtris: dormiamus in pace, vigilemus in Chriſto, vt non timeamus à timore nocturno: Qui cum patre &c.

VIgila ſuper nos ęterne ſaluator, nè nos appræhendat callidus tentator, quia tu pro nobis factus es æternus adiutor: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuũ, &c.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtã, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle. Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper: Per Dominum &c.

Domine Ieſu Chriſte redẽptor humani generis,

neris, qui nos redemiſti per tuũ precioſiſſimũ ſanguinẽ, præſta nobis ſic corpore requieſcere, vt in te ſemper vigilemus: Qui cũ patre &c.

Ad cuſtodiam noſtrarum animarũ corporumque paſtor bone, qui dormire neſcis, nè nocturnis terroribus fatigemur, cæleſtia ſuper nos velamenta prætende, vt nobis dormientibus, tua Maieſtas vigilet in ſenſibus noſtris: Per Dominum noſtrum &c.

Da nobis, quæſumus, noctem placidam, & præſta, vt tranſacto ſpatio tenebrarum, in laudibus tuis dies læta ſuccedat: Per Dñm &c.

DEprecor clementiam tuã Dñe Ieſu Chriſte, vt mihi peccatori criminum culpas
Luc.15. relaxare digneris, qui humeris tuis ouem per-
Luc.18. ditam reduxiſti: qui publicani confeſſioni indulſiſti: tu Domine preces famuli tui beni-
Luc.23. gnus exaudi, qui exaudiſti latronem confiten-
Matt.25. tem, qui præmia iuſtis deſtinâſti, & peccato-
Luc.15. ribus veniam non negâſti: Per Dominum &c.

ALIÆ ORATIONES PERBREVES, QVAE NOCTV

quoquè cùm expergiſceris, vel aliàs quocunque tempore, præſertìm etiam in mortis neceſſitate, pro miſericordia diuina & remiſſione peccatorum impetranda, cõmodè dici & animo ruminari poſſunt, ex Beato Auguſtino.

Miſere-

MIſerere meî Domine, miſerere meî, & adiuua me, ſicut tu nôſti quod mihi neceſſè eſt in corpore & anima. Scis omnia, potes omnia: Qui viuis in ſecula. Pſal.56.

REſpice me opus manuum tuarũ in te ſperantem, & in tua ſolummodò miſericordia confidentem.

REcordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſacro ſanguine redemiſti.

DA mihi conſolationem tuam cęleſtem, & noli ſpernere peccatricem animam, pro qua mortuus es.

EGo ſum miſer ille, decem millibus talentis obæratus Domine, non ſum ſoluendo, niſì miſericordia tua adiuuerit me. Matt.18.

REijce me Domine cum miſericordia tua quò me volueris, vt firmus ac indeficiens ibì conſiſtere poſſim.

NOli, quæſo piјſſime Domine, ſcribere aduersùm me amaritudines meas, vt intres in iudicium cum ſeruo tuo, ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarũ dele iniquitatem meam. Iob 13. Pſal.142. Pſal.50.

PLacare, obſecro, & miſerere meî, & non auertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo non auertiſti faciem tuam ab increpantibus & conſpuentibus in te. Eſa.53.

QVis vnquàm bone IESV de tua miſericordia diffidat? qui, cùm tui inimici eſſemus, redemiſti nos in ſanguine tuo, & reconciliâſti nos Deo. Eccè ſub tuæ miſericordiæ

vmbra protectus, ad thronum gloriæ veniam poſtulans curro, clamãs & pulſans donèc miſerearis meî.

O Clementiſſime pater & Domine, licèt peccator ſim, non poſſum non eſſe filius tuus, quia tu me feciſti, & refeciſti.

Manus tuæ Dñe plaſmauerunt me, opus manuum tuarum nè deſpicias.

Domine, ſi ego admiſi, vndè me damnare potes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles.

Memento benigne Deus, memento quia miſericors es & creator & recreator meus.

Noli Domine, noli ſic attendere malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum.

Nè memineris iuſtitiæ tuę erga peccatorem tuum, ſed memor eſto benignitatis tuæ erga creaturam tuam.

Nè memineris iræ aduersùs reum, ſed memor eſto miſerationis tuæ erga miſerum.

Obliuiſcere ſuperbum prouocantem, & reſpice miſerum inuocantem.

OMnipotẽs & miſericors Domine, obſecro & ſuppliciter te rogo, vt non facias mihi ſecundùm peccata mea, quibus iram tuã merui, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam, quæ ſuperat etiã peccata totius mundi.

ECcè cor meum coram te eſt: diſcute tenebras eius, vt amoris tui claritate pleniùs perfundatur. Compleat tua potentiſſima dignitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas.

San-

SAnctifica me vas tuũ quod feciſti, de malitia euacua, & imple de gratia, & plenũ conſerua, vt dignum habitationis tuæ efficiar templum hîc & in perpetuum.

SCio Domine mi, quia ex hoc quòd me feciſti, debeo tibi meipſum: & quia me redemiſti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus, quàm me, ſi haberem, quanto tu maior pro quo dediſti teipſum. Eccè nec plus habeo, nec quod habeo, tibi dare poſſum ſine te: ſed accipe tu me, & trahe me ad te, vt tuus ſim imitatione & dilectione, ſicut tuus ſum conditione & creatione, qui viuis in ſecula.

DIgnum me fac Domine IESV Chriſte participatione glorię tuæ, quam per meritum non requiro, ſed per ſanguinem tuum quo redemptus ſum, adipiſci non deſpero. Tibi laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA ROMA

S. BANDITELLI - Tel. 6782409